VOLVMINVM CODICVMQVE FRAGMENTA GRAECA CVM AMVLETO CHRISTIANO

DISSERTATIO INAVGVRALIS
QVAM AD SVMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORVM MARPVRGENSIVM ORDINE
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERNESTVS SCHAEFER
SOLITARIENSIS BORVSSVS

MARPVRGI CHATTORVM MCMXII
TYPIS B. G. TEVBNERI LIPSIENSIS

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine referente

CAROLO KALBFLEISCH

probata die XXIV mensis Novembris anni MCMX

Hoc opusculum IV tabulis auctum prostat in aedibus B. G. Teubneri Lipsiensis sub titulo „PAPYRI IANDANAE cum discipulis edidit Carolus Kalbfleisch, fasciculus I“

MATRIS OPTIMAE MANIBVS

Carolus Kalbfleisch praeceptor meus e collectione papyrorum, quae apud eum asservantur, ea fragmenta, quae ad litteras Graecas pertinent, mihi edenda tradidit; addidit amuletum Christianum, quod cum his potius quam cum instrumentis publicis et privatis, quae postea edentur, coniungere visum est. In his chartulis legendis supplendis explicandis et ipse consilio et opera me adiuvit et alii quos de singulis rebus adiimus viri doctissimi, quos hic quoque honorificentissime appellare par est: Guilelmus Kroll, Ernestus Maass, Gustavus Uhlig, Ricardus Wuensch.

Empta sunt omnia haec fragmenta per societatem Germanicam quae papyris Aegyptiacis acquirendis operam dat, quam nominant *Deutsches Papyruskartell.* Ceterum si quid de origine compertum habemus, suo loco adscribam. Chartas levigavit, composuit, vitreis inclusit Hugo Ibscher Berolinensis.

Litteras incertas punctis suppositis, litteras a me correctas **typis crassioribus** significabo.

Uncis rotundis ( ), quae in papyro compendio scripta sunt, includam,
uncis umbilicatis { }, quae supra versum addita sunt,
uncis quadratis [ ], quae perierunt,
uncis quadratis duplicibus ⟦ ⟧, quae supervacanea sunt,
hamis ⟨ ⟩, quae in papyro omissa a me addita sunt;
ι mutum in his papyris semper omissum subscribam.

Papyrorum editiones significabo compendiis in Archio papyrologico usitatis.

INDEX

1

(P. 93)

FRAGMENTUM ILIADIS

Ab Homero principium! Ad hunc enim pertinet papyrus magnopere dilacerata alta millesimas quinquaginta tres, lata centum ubi maxime patet, empta anno 1907 a mercatore pagi cui nomen est Gizeh.

In parte postica perpaucae tantum litterae cursive scriptae exstant, in quibus agnoscitur ☧ ιγ id est πυροῦ ιγ' scil. ἀρτάβαι (cf. Kenyon *The palaeography of Greek papyri* p. 155; P. Teb. I p. 642; al.). Ratiunculam aliquam hoc loco inscriptam fuisse apparet.

In parte antica nonnulli versus Iliadis libri IV exstant scripti, ut videtur, in palimpsesto; nam iuxta versuūm 6 et 12 columnae I exitus in intercolumnio nonnullae litterarum reliquiae aspiciuntur. Praeterea maxima chartulae pars maculis ita inquinata est, ut atramentum pristinae scripturae spongia abstersum esse conicias. Servatae sunt partes inferiores duarum columnarum, quarum altera exitus versuum IV 454—466, altera initia versuum IV 483—488 continet; quibus ex numeris facile numerus versuum in utraque columna scriptorum computari potest: erant viceni bini. Duplici igitur altitudine papyrum olim fuisse apparet.

Versus exarati sunt manu, quam collata Kenyonis tabula post p. 128 inserta I ante Christum natum saeculi esse arbitror, non librarii sed hominis, qui arti scribendi minorem operam dederit suum sibi apographum conficiens. Cuius reliquias, quo facilius intellegantur, ex Homeri textu supplebo Ludwichii editionem secutus.

Comparanda est cum hoc frustulo papyrus musei Britannici III post Christum natum saeculi numero 135 insignita (Kenyon *Classical texts from papyri in the British Museum* p. 93sqq.), quae versus III 317—337 et IV 1—544 continens easdem atque nostra papyrus lectiones offert. Versuum columnae II alterum exemplum habemus P. Oxy. III 545 (saec. II vel III) initia versuum IV 478—490 exhibentem, quae tamen nihil praebet, quod mentione dignum sit.

Columna I

[ὡς δ' ὅτε χείμαρροι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες]
[ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄβριμον ὕδωρ]
[κρουνῶν ἐκ μεγάλων] κọίλης ẹ̓[ντοσθ]ẹ [χαράδρης·]
455 [τῶν δέ τε τηλόσε δοῦπον ἐν οὔρεσιν] ẹ̓́κλυε π̣[οιμ]ήν·
[ὣς τῶν μισγομένων γένετο ἰαχή] τε φόβ[ος] τ̣ε.
[πρῶτος δ' Ἀντίλοχος Τρώων ἕλεν] ἄ̣ν̣δρα κ[ορ]ṿστὴν
[ἐσθλὸν ἐνὶ προμάχοισι, Θαλυσιά]δην Ἐχέπωλον·
[τόν ῥ' ἔβαλε πρῶτος κόρυθος φάλο]ṿ ἱπποδα̣σ̣[είης,]
460 [ἐν δὲ μετώπῳ πῆξε, πέρησε δ' ἄρ'] ὀ̣στέον εἴσω,
462 [ἤριπε δ', ὡς ὅτε πύργος, ἐνὶ κρατε]ρῇ ὑσμίνῃ.
[τὸν δὲ πεσόντα ποδῶν ἔλαβε κρε]ίων Ἐλεφήνωρ,
[Χαλκωδοντιάδης, μεγαθύμων] ἀρχὸς Ἀβ̣ά̣ντων·
465 [ἕλκε δ' ὑπ' ἐκ βελέων λελιημένο]ṣ, ὄφρα τ̣ά̣[χιστα]
[τεύχεα συλήσειε· μίνυνθα δέ οἱ γ]ẹ́ṿεθ' ὁρμ̣[ή.]

Columna II

[. . . . . ὁ δ' ἐν κονίῃσι χαμαὶ πέσεν αἴγειρος ὥς,]
ἥ [ῥά τ' ἐ]ṿ ẹ[ἱαμενῇ ἕλεος μεγάλοιο πεφύκῃ]
λείη, [ἀτάρ τέ οἱ ὄζοι ἐπ' ἀκροτάτῃ πεφύασι·]
485 τὴν μέṿ [θ' ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ αἴθωνι σιδήρῳ]
ἐξέταμ̣', [ὄφρα ἴτυν κάμψῃ περικαλλέι δίφρῳ·]
ἡ μέν τ' ἀ̣ζ[ομένη κεῖται ποταμοῖο παρ' ὄχθας.]
τοῖον ἄρ' [Ἀνθεμίδην Σιμοείσιον ἐξενάριξεν]
[Αἴας διογενής . . . .]

I 1 Exitus huius versus mirum quantum in intercolumnium progreditur; fortasse verbo perperam scripto, postea deleto aliquantum spatii consumptum erat.

3 *φόβος τε* cum papyro Londinensi plurimisque codicibus pro *πόνος*, quam vocem pro *φόβος* iam Aristarchus legi voluit: cf. Ludwich *Aristarchs homerische Textkritik nach den Fragmenten des Didymos* I p. 250.

4—7 Papyrus a textu vulgato non aberrat. Post versum 7 papyrus versum 461 *αἰχμὴ χαλκείη· τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψεν* omittit una cum papyro Londinensi. Quod non recte factum esse facile intellegitur comparatis versibus VI 9—11, ubi versus IV 459—461 repetuntur, et IV 501 sqq.:

τόν ῥ' Ὀδυσσεὺς ἑτάροιο χολωσάμενος βάλε δουρὶ
κόρσην· ἡ δ' ἑτέροιο διὰ κροτάφοιο πέρησεν
αἰχμὴ χαλκείη· τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψε.

Is qui primus hunc versum omisit, commotus esse videtur falsa de usu verbi *περάω* opinione, quod aeque ac *πῆξε* transitivum esse putabat; accedebat for-

tasse, quod sequentia verba τὸν δὲ σκότος κτλ. saepius repetita (cf. IV 503, 526, VI 11, XIII 575, XIV 519, XV 578) supervacanea videri poterant.

9 Papyrus distincte ελεφηνων pro Ἐλεφήνωρ. Fortasse oculus scribentis aberravit in genetivum Ἀβάντων versus sequentis.

II Pars versus 467—482 continens tota abrepta est. Quae legi possunt initia versuum 483—488 a contextu vulgato non discrepant. Supra versus 483 initium lineola transversa conspicitur, quae non video quid aliud esse possit nisi paragraphus.

Eis quae supra exposui satis planum factum est hanc papyrum sequi eandem recensionem quae exstat in papyro Londinensi, de qua quod iudicavit Kenyon, si de tam parvo frustulo concludere licebit, et huic papyro subscribam (Kenyon l. c. p. 93): *The result is a somewhat indifferent representation of the vulgate text, and there is hardly a single variant which deserves consideration.*

2

(P. 1)

SCHOLIA IN ILIADEM

Numerus scholiorum ad Iliadem et Odysseam in papyris repertorum[1]) papyro numero 1 insignita[2]), quae anno 1906 Cahirae empta est, augetur. Exstant enim in hoc fragmento, cuius altitudo est 10 fere centesimarum, latitudo paulo plus 9, scholia ad Il. XI 677—754.

Pagina adversa reliquiae unius columnae servatae sunt, qua v. 677 et 688 illustrantur. Margo inferior exstat, superior periit, in lateribus perpaucae litterae et initii et exitus versuum amissae sunt, quae facile suppleri possunt.

Pagina aversa reliquias duarum columnarum nobis tradidit, alterius exitum, alterius initium, quibus versus 699, 712, 730, 754 illustrantur.

---

1) Cf. A. Ludwich *Über die Papyruskommentare zu den homerischen Gedichten. Ind. lect. Regiom. sem. aest. 1902.*

2) Hanc papyrum ante me libello petitorio seminarii Marpurgensis rectoribus oblato tractavit Ericus Spielvogel, sodalis meus, acerbissimo fato his studiis paulo post ereptus. Nam cum aestate anni 1909 Aeni ripas animi causa permigrare coepisset, nunquam rediit. Hoc tandem anno ineunte ossa eius in rima montium reperta procul a patriis regionibus tumulo illata sunt. Cuius schedis ante triennium inspectis me nonnulla in hac opusculi particula debere eo libentius profiteor, quod iuvenis diligentissimi atque humanissimi etiam in litteris aliquod monumentum exstare par est.

Qua in pagina compluribus locis vestigia textus prioris abluti dispici possunt. Quaedam etiam cursive scripta sub columnis exstant, sed evanida vix ut quicquam legi possit. Ductus scripturae paginae anticae et posticae magnopere inter se differunt. Litterae paginae anticae elegantissimae simillimaeque sunt eis, quas papyrus olim Berolinensis 46 exhibet[1]), quam primo ante Christum natum saeculo attribuit Schubart; textum paginae posticae haud ita multo post scriptum esse existimo. Papyrum nostram fragmentum esse non codicis, sed voluminis cum scripturae vetustate tum ea re cognoscitur, quod, cum pagina antica una columna fere tota servata sit, pagina postica duarum columnarum ab alia manu scriptarum reliquiae exhibentur. Quapropter hominem, cuius fuit hoc volumen, ut totum librum undecimum scholiis illustratum haberet, textum qui anticae voluminis paginae inscriptus erat postica pagina ipsum continuavisse vel continuandum curavisse arbitror. Atque cum illius versus ultimus sit 688, huius autem primus 699, haud longe a fine voluminis fragmentum nostrum aberat, fortasse ipsam ultimam columnam partis anticae manibus tenemus.

Versus Iliadis ad illustrandum propositos veri simillimum est ut in, tertia columna ita etiam in ceteris aliquantulum sinistrorsum processisse[2]) cuius rei ratio habenda est in litteris supplendis. Inter Iliadis versus et scholia spatiolum vacuum relinquitur. Ubi a textu Iliadis probato discrepat papyrus lectiones minoris pretii praebet. In scholiis, quibus scholiasta neglecta lectionum varietate in hoc uno studium posuisse videtur, ut vocabula quaedam atque res interpretaretur, vix uno loco quicquam novi, quod maioris pretii sit, invenitur.

Addendum est scholiorum fragmenta et quae ab A. Ludwich collecta sunt et quot interea inventa et edita mihi innotuerunt, ultra primum ante Christum natum saeculum non recedere; itaque si recte eidem saeculo attribuimus hanc chartulam, in antiquissimarum huius generis numerum est referenda.

---

1) *Berliner Klassikertexte* V 1 tab. I. Guilelmus Schubart nobis de formis litterarum interrogantibus papyrum nunc Cahirae asservari rescripsit, ubi qui nostra causa inspexit Fridericus Zucker etiam Ι litteram eadem forma esse qua in charta Marpurgensi affirmat. Itaque haec scholia eadem in officina, ex qua charta Cahirensis prodiit, scripta, quin etiam cum exemplari Cahirensi coniuncta fuisse haud dissimile veri mihi quidem videtur. Cf. *Archiv für Papyrusforschung* V p. 35.

2) Hac ratione scholiastae, ut versus scriptoris a scholio differret, saepe usi sunt, cf. W. Schubart *Das Buch bei den Griechen und Römern Berlin 1907* p. 77.

Columna I

[εἰ]ς Ἦλιν.
XI 677 [λη]ΐδα δ' ἐκ πεδ[ίου] ̣συνελάσσαμ[εν]
[ἤλι]θα πολλήν. ἤλιθα χύδην, μ̣[ά-]
[τ]ην, ὡς καὶ λέγομεν χυδαῖος [ἄν-]
[θ]ρωπος καὶ ἠλίθιος, ὅταν πλῆ[θος]
[ἐ]μφαίνειν θέλωμεν ἢ ἀταξίαν.
688 [δαί]τ̣ρευον· πολέσιν γὰρ Ἐπειοὶ χρε[ῖος]
[ὄφει]λον. ἐμέριζον τοῖς ὀφειλομ̣[ένοις]
[τ]ὰ ὀφειλήματα. ἐν Ἤ[λι]δι οἱ ἀ[γροιῶ-]
[τ]α̣ι Ἐπειοὶ λέγονται· οὕτως ἐκα[λοῦντο]
τὸ ἀρχαῖον.

Columna II

[. . . . .] . [. . . . .]
[. . . . . τε]τ̣ραορ̣ . . .
[. . . . . ὥσπ]ερ καὶ σαλ-
[πιγ . . . .] . ται
XVIII 219 [ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη φωνή,] ὅτε τ' ἴαχε
[σάλπιγξ. . . . .]οὐκέτι οἷον
[. . . . .]ν οἴδαμεν
[. . . . .]ωμεν Ἀγαμέ-
[μν . . . .]οντα ἀγνοη
[. . . . .]α̣ὐτῶν προσω̣
[. . . . .]ω̣σειε . . ω̣ν̣
[. . . . .]ν̣

Columna III

[.] . . . . [. . . . .]
XI 712 [τηλοῦ] ἐπ' Ἀλφειῷ [νεάτη Πύλου ἠμα-]
[θόε]ντος. ψιλο̣[ῦ, ἀπὸ τῆς ἄμμου· ἢ καὶ]
ἀπὸ τοῦ Ἀμάθο̣[υ ποταμοῦ ἢ ἥρωος,]
ὥσπερ καὶ ἠ̣[νεμόεις ἀπὸ ἀνέμου.]
730 δόρπον ἔπειθ' εἱλ̣[όμεσθα κατὰ στρατὸν]
ἐν τελέεσσι. ἐν [τοῖς τάγμασιν, οὐ διαλύ-]
σαντες τὰς τ[άξεις.]
754 τόφρα μὲν οὖν ἑ[πόμεσθα διασπι-]
δεος πε̣[δ]ίο̣ιο. [. . . . .]

I 1 [εἰ]ς Ἦλιν potius quam [πρὸ]ς Ἦλιν supplevi propter spatii angustias; hic finis scholii ad versum 671: ὡς ὁπότ' Ἠλείοισι καὶ ἡμῖν νεῖκος ἐτύχθη vel 673: ἐσθλὸν Ὑπειροχίδην, ὃς ἐν Ἤλιδι ναιετάασκεν. Poeta ipse semper Ἦλιδα; sed cf. schol. Venet. A ad Il. III 75: . . . τὰ πρὸς Ἦλιν, Eustath. ad eundem locum et II 615 . . . παρὰ τὴν Ἦλιν.

2 [λη]ΐδα. Quaestionem, utrum λήϊδα an quod malebat Aristarchus ληΐδα legendum sit, scholiasta non respicit. πεδ[ίον et συνελάσσαμ[εν] cum maxima codicum parte, alii πολέμου et συνελάσαμεν.

3 In media linea spatio post Iliadis versum relicto (cf. I 8, III 3. 7) incipit scholium. ἤλιθα lemma quod usque ad v. 6 declaratur. Ad sensum huius et sequentium explicandum cf. haec: Apoll. Sophista (lex. Hom.): ἤλιθα· ἀθρόως καὶ χύδην. „ἤλιθα πολλήν." Hesych.: ἤλιθα. ἀθρόως, δαψιλῶς, χύδην, παρὰ τὸ ἅλις. οἱ δὲ μάτην, εἰκῇ. Cuius glossematis duplicem sensum — et quantitatis et qualitatis —, quem apud Graecos omnibus fere multitudinis significationibus inesse constat, et nostrum scholium et scholia Venet. B, Townl., Lips. referunt; cf. Venet. B ad h. v.: ἤλιθα πολλήν. λίαν ἠθροισμένην. ἐξ οὗ καὶ ἠλίθιος ὁ παχὺς τὸν νοῦν καὶ μὴ ἀκριβής. ἢ παρὰ τὸ ἀλίσαι, ὅ ἐστιν ἀθροῖσαι; item schol. Townl. et Lips. omisso ἐξ οὗ. Simili modo Eustathius illud ὁ πολὺς ἄνθρωπος interpretatur p. 1382 (ad Od. I 2. 3) v. 16: οὐ μέγας τις καὶ σοφὸς ταῦτα ἐρεῖ ἀλλὰ ὁ πολὺς ἄνθρωπος· ἤγουν ὁ χυδαῖος.

3. 4 μ[ά-τ]ην. Sic supplendum esse censeo. Certe perpaucae litterae desunt. Voces χύδην et μάτην duplicem interpretationem vocis ἤλιθα dant, quam iam supra commemoravi; cf. Hesych. l. c.: ἤλιθα. . . . χύδην . . ., οἱ δὲ μάτην . . . .

4 χυδαῖος respondens adverbio χύδην; cf. Eust. p. 679, 31: ἐκ τοῦ χύδην ὁ χυδαῖος; idem p. 29, 34 sq.: χυδαῖοι οἱ πεπληθυσμένοι· νῦν δὲ οἱ οὐδαμινοί. πολλοστὸς οὐχ ὡς πάλαι ὁ πολὺς καὶ ἔνδοξος, ἀλλὰ ὁ τὸ μηδέν.

5 ἠλίθιος vox qualitatem vocis ἤλιθα interpretans, respondens voci μάτην; cf. Hesych.: ἠλίθιος. μάταιον, ἀναίσθητον, μωρόν, ἀνόητον, ἄφρονα et Suidas: ἠλίθιος. ἄφρων, ὁ σκληρὸς ἢ ἀναίσθητος. πλῆ[θος] satis certe, ad χυδαῖος ut ἀταξίαν ad ἠλίθιος. Poeta ipse optimum exemplum hominis, quem appellat scholiasta noster χυδαῖον ἄνθρωπον καὶ ἠλίθιον, finxit Thersitae persona, ὃς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾖσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη (II 213). Ex scholiis ad h. v., quamquam omnia fere papyri nostrae scholium illustrare possunt, haec tantum e Venet. A et B excerpo: (A) Θερσίτης δ' ἔτι μοῦνος ἐθορύβει, ὃς πολλά τε καὶ ἄτακτα λέγειν ἠπίστατο, ὥστε μάτην καὶ οὐ πρὸς λόγον φιλονεικεῖ τοῖς βασιλεῦσιν . . . et (B) ὀργαὶ χυδαίων καὶ πλήθους ἀνοήτου.

7 χρε[ῖος], 8 [ὄφει]λον supplevi cum maxima codicum parte; Aristarchus ut videtur χρέως ὤφειλον; cf. Ludwich *Aristarchs Homerische Textkritik* I 334 ad XI 686, ib. 335 ad XI 688.

8 ὀφειλομ[ένοις] i. e. οἷσι χρεῖος ὀφείλετ' ἐν Ἤλιδι δίῃ (Il. XI 686). Numerus litterarum suppletarum magnus videtur; sed quid aliud suppleri possit nescio neque abhorrent a tanto numero quae in fine versuum sequentium supplenda mihi videntur. Itaque librarium, ut totum ad v. 688 scholium in

hac columna haberet, his versibus (8—10) maiorem numerum litterarum dedisse quam ceteris existimo. Declaratur verbis ἐμέριζον ... ὀφειλήματα verbum δαίτρευον; cf. glossema interlinearium codicis Veneti A ad h. v.: ἐμέριζον. item Nicole *Les scolies Génevoises* p. 145: ἐμέριζον et Paraphrasis Bekkeriana (*Schol. ad Il.* ed. Bekker, *Appendix*) ad h. v.: οὗτοι δὲ συναθροιζόμενοι . . . ἐμέριζον. Ad totum hoc scholium cf. similia Eustathii verba ad v. 687: οἱ γὰρ τοιοῦτοι (scil. ἡγήτορες) περιουσιαζόμενοι ζῴοις καὶ ἀπολέσαντες αὐτὰ δαιτρεύοιεν ἂν ἐπανασωθέντα ὡς ὀφειλόμενοι χρέος. δαιτρεύειν δὲ φανερῶς νῦν τὸ ἁπλῶς μερίζειν λόγῳ δασμοῦ. Sequentia interpretantur nomen Ἐπειοί. Ceteri quoque scholiastae huic nomini declarando operam dant Aristarchum secuti, qui διπλῇ posita Homerum hoc loco aliisque incolas regionum non nomine ab regione ipsa ducta sed alio notare observavit; cf. Lehrs *De Aristarchi studiis Homericis* p. 23, 1 ad Il. XI 688: ὅτι σπανίως Ἠλείους καλεῖ. 694: ἡ διπλῆ, ὅτι τινὲς καὶ Ἀχαιῶν γράφουσιν. Ὅμηρος δὲ Ἐπειοὺς τοὺς Ἠλείους καλεῖ. 759: ἡ διπλῆ, ὅτι τοὺς Πυλίους Ἀχαιοὺς λέγει νῦν, τοὺς δὲ Ἠλείους Ἐπειούς. et Venet. B ad II 619: Ἐπειοί — διῃρημένως πρὸς τὴν πόλιν (scil. Ἦλιδα) ὀνομάζονται, ὡς Ἄβαντες (Euboeae insulae incolae). Qua Aristarchi observatione etiam scholiasta noster usus est. Voci ἀ[γροιῶ-τ]αι, quam supplendam esse collato XI 676: . . . λαοὶ δὲ περίτρεσαν ἀγροιῶται intellexi, scholiasta maiorem vim tribuere noluit. Ut enim ex hoc loco concludamus differentiam statuisse scholiastam inter oppidi et ruris incolas, nullo pacto fieri potest, quoniam Elis oppidum Homero notum non est.

10 λέγονται, scil. apud Homerum. εκα[. Supplevi ἐκα[λοῦντο]. ἐκάλουν non probabile nec magis ἐκα[λοῦν-]το ἀρχαῖον. cf. Steph. Thesaur. τὸ ἀρχαῖον: *antiquitus, olim . . . quod male sine articulo scribitur.* τὸ ἀρχαῖον mediae columnae suppositum. Sensus ultimorum scholiastae verborum est: Epei nisi in carmine epico non inveniuntur; hodie Elei dicuntur. Nihil igitur scholiastae nostro cum Hecataeo Milesio (apud Strabonem VIII 341) ceterisque est, qui Epeos Eleosque populos diversos fuisse contendunt (v. Oberhummer apud Pauly-Wissowa s. v. *Epeioi*, ibid. Swoboda V 2 p. 2374, 64 sqq.).

II Ultimas huius columnae lineas, quarum tam parvae reliquiae exstant, mihi persuasum est versum Iliadis XI 699 τέσσαρες ἀθλοφόροι ἵπποι αὐτοῖσιν ὄχεσφιν illustravisse, quem initio columnae nunc deperdito scriptum fuisse pro certo habeo. Satis enim constat versum 5 et initium versus 6 versum Iliadis XVIII 219 continuisse. Cui versui quae ratio intercedat cum versu Iliadis XI 699, optime docet Eustathius ad h. v. (XVIII 219) annotans: . . . φασὶ δὲ οἱ παλαιοὶ ὡς οἶδε μὲν ὁ ποιητὴς σάλπιγγα. ἥρωας δὲ οὐκ εἰσάγει χρωμένους αὐτῇ οὐδὲ εἰδότας. ὃ δὴ καὶ περὶ τοῦ τετρώρου φασίν . . . . Eadem ratione, qua Eustathius de tuba loquens quadrigas commemoravit, invicem noster scholiasta verba τέσσαρες ἀθλοφόροι ἵπποι interpretans de tuba lectores admonuit. Qua in re ut Eustathius Aristarchum sequitur, qui *censuit quaedam ipsi Homero cognita fuisse quibus tamen heroas uti non faciat* (Lehrs l. c. p. 133). Scholia XI 699 (Venet. A et Townl.) varias sententias de verbis τέσσαρες ἀθλοφόροι ἵπποι proferunt, sed et hic et XVIII 219 altero exemplo carent. E. g. scholium cod. Ven. A annoto: ὅτι φαντασίαν ὁ τόπος ἔχει ὡς τετρώρῳ ἅρματι χρωμένων τῶν ἡρώων. καὶ γὰρ λέγει (XI 702): „τὸν δ' ἐλατὴρ ἀφίει ἀκαχήμενον ἵππων“. ἐνδέχεται δὲ δύο συνωρίδας ἐπὶ τὸν ἀγῶνα πεπορεῦσθαι. μή τι περὶ τὴν

ἑτέραν γένηται· εἰρῆσθαι δὲ „τὸν ἐλατῆρ' ἀφίει“ συλληπτικῶς. τὸν ἑκατέρας ἐλατῆρα, ὡς „ἀμφίπολος δ' ἄρα οἱ κεδνὴ ἑκάτερθε παρέστη“ (Od. I 335)· οὐ μία ἐπὶ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν, ἀλλ' ἑκατέρωθεν μία. οἱ δὲ ὡς Ποσειδῶνος υἱὸν τετρώρῳ φασὶ χρῆσθαι. ἵππιος γὰρ ὁ θεός. Breviter Eustathius ad h. v.: Ἐν δὲ τῷ „τέσσαρες ἀθλοφόροι ἵπποι“ ... οἱ μὲν τέτρωρον φαντάζονται, οἱ δὲ δύο ξυνωρίδας νοοῦσιν, ἑκατέραν ἕνα ἔχουσαν ἐλατῆρα. τετρώρῳ γάρ, φασίν, οὐ χρῶνται οἱ παρ' Ὁμήρῳ ἥρωες. Licet conferri scholia ad XVIII 219 (σάλπιγξ) et XXI 388 (σάλπιγξεν).

Proponam nunc quae ad singulos versus habeo, quos tamen excepto versu 3 et 5, cum nimis multa perierint, supplere non conabor.

3 ὥσπ]ερ καὶ σάλ[πιγ .... Cf. III 5. Possis ὥσπερ καὶ σάλ[πιγξιν οὔπω χρῶ]ν̣ται (οἱ ἥρωες).

4 Post]ται spatium, quo versum Iliadis sequi indicatur.

8 Quamquam hic quoque spatium in versus praecedentis exitu exstat, tamen non subsequitur versus Iliadis. Nam quae servata sunt hexametri non esse facile intellegitur. Agamemnonis nomen quid hoc loco velit mihi perspicuum non est. An memor fuit scholiasta equorum, quos Agamemnon irae placandae causa Achilli se daturum esse pollicitus erat? cf. Il. IX 123 sq. (et 265 sq.) ... δώδεκα δ' ἵππους πηγούς, ἀθλοφόρους, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο.

9 αγνοη. Cf. schol. Venet. A ad XXIII 186: ἡ διπλῆ, ὅτι μύρου τὴν μὲν ὀνομασίαν ἀγνοεῖ, τὴν δὲ σκευασίαν οἶδεν.

10 προσῴ-[πων?

11 Super ωσε nescio quid scriptum exstat.

III 3 Spatio intermisso scholiasta ἠμαθόεντος duplici ratione interpretatur, primum ita, ut ἀπὸ τῆς ἄμμου derivetur, deinde ita, ut cum Amatho fluvio vel heroe coniungatur, cui explicationi exemplum additur vocalis α in η mutationem exhibens. Cf. schol. Venet. B ad Il. IX 580: ψιλὴν ἄροσιν: ... γυμνὴν φυτῶν, Townl. ad eundem versum: ... ψιλὴν δὲ ἀντὶ τοῦ ἀδένδρου, Etym. Magn. s. v. ἠμαθόεις: ψαμμώδης, τραχεῖα. Παρὰ τὴν ἄμμον, ἀμαθόεις καὶ ἠμαθόεις [ὡς ἠνεμόεις (coni. Sylb.)], εὐήνεμος. Videantur, quae Sylburgius annotavit ad hanc coniecturam. Quae in vocibus compositis invenitur primae vocalis partis alterius productio (velut in εὐήνεμος), ea interdum etiam in ipsa voce simplici apparet (ἠνεμόεις, ἠμαθόεις, cf. Wackernagel *Das Dehnungsgesetz der griechischen Composita, Basel 1889*, p. 38). Cetera scholia nihil ad h. v. praebent; quae ad alios locos attulerunt, collecta sunt apud Strabonem et Hesychium; Strabo 344: ... Πύλος ..., ὃν καλεῖ ὁ ποιητὴς (scil. Ὅμηρος) ἠμαθόεντα ..., εἴτε τοῦ παραρρέοντος ποταμοῦ πρὸς ἄρκτον Ἀμάθου καλουμένου πρότερον, ὃς νῦν Μάμαος καὶ Ἀρκαδικὸς καλεῖται, ὥστ' ἐντεῦθεν ἠμαθόεντα κεκλῆσθαι ... et Hesychius s. v. ἠμαθόεις: ἀμμώδης. ἠμαθόεντος, τὸν ψαμμώδη, ἤτοι πολλὴν ἄμαθον ἔχοντα· ἐξ οὗ ὁ πολύαμμος δηλοῦται. ἢ παρ' ὃν ῥέει Ἠμαθόεις ὁ ποταμός. ἢ μεσημβρινοῦ. ἢ ἀπὸ Ἠμάθου ἥρωος.

6 εἱ[λόμεσθα. Satis certe. Eadem lectio refutanda in cod. Florent. Laurent. XXXII 15. Supra εἱ[λόμεσθα aliquid superscriptum, fortasse correctio

ἑλόμεσθα? De lectionum differentia (cf. Aristonici verba ad h. v.: *ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει δεῖπνον*) disserere cum scholiastae nostri non intersit, scholio sequenti vocis *ἐν τελέεσσι* sensum explanari censeo. Non omnibus locis scholiasta vocem illustrandam repetit. Quamobrem ne hoc quidem loco *ἐν τελέεσσι* repetitum esse puto. Sic suppleo: *ἐν* [*τοῖς τάγμασιν* (vel *ταῖς τάξεσιν*), *οὐ διαλύ*-]*σαντες τὰς τ*[*άξεις*]. Cf. inprimis schol. Venet. B ad h. v.: *τελέεσσι. τοῖς τάγμασι· δείκνυσι δὲ ὅτι οὐδὲ κοιμώμενοι ἢ ἐσθίοντες διέλυον τὰς τάξεις*. Eustathius et Paraphrasis Bekkeriana scholii interpretationem (*τάγμασι*) repetunt. Post *τ*[*άξεις* spatium vacuum fuisse sumendum est.

9 *μὲν*. Libri *γάρ*. Nullius pretii haec nova lectio est. Quae apud Apollonium Sophistam s. v. *σπίδεος* inveniuntur: . . . „*καὶ τὰ μὲν ἠλασάμεσθα* (sic) *διὰ σπιδέος*“, quo loco diversos versus (Il. XI 682 et 754) miscuisse glossatorem iam diu cognitum est, non digna sunt quae respiciantur. Utrum scholiasta *διὰ σπιδέος* cum Zenodoto an *δι' ἀσπιδέος* legerit, diiudicari non potest. Sed hanc vocem scholio amisso scholiasta certe interpretatus est.

10 Post *πε* hasta verticalis scripturae prioris servata est; *δ* periit. In columna sequenti scholium continuatum erat.

3

(P. 10)

FRAGMENTUM ASTROLOGICUM

Haec chartula anno 1907 a mercatore Hermupolitano[1]) empta una cum fragmentis, quae ad Theadelphiam et Euhemeriam pagos nomi Arsinoitici pertinent, 72 millesimas alta, 47 lata, in ea pagina, cuius fibrae versibus parallelae sunt, novem linearum cursive scriptarum reliquias habet, quibus nisi quod tempus indicant pretium non est tribuendum; in altera vero pagina fragmentum libri astrologici exhibet, quod hic editurus sum. Quae exstant, scriptura nitidissima quam II post Christum natum saeculi esse existimo exarata, quamquam optime legi possunt, tamen magnas difficultates praebent, quia singulorum versuum litteris et initialibus et finalibus amissis non minus senae denae fere, ut mihi videtur, litterae, i. e. tot quot servatae exstant supplendae sunt. Praeterea omnia fere planetarum nomina amissa constellationesque ita compositae sunt, ut apotelesmata quibus planetis tribuenda sint, ex iis, quae aliunde de constellationum effectu nota sunt, colligere vix audeam. Mea quidem sententia ea libri parte, cuius hoc est fragmentum, Veneris cum aliis planetis constellationes earumque effectus exponuntur, quod quomodo fere fieri potuerit supplementis adscriptis ostendere conabor. Fragmentum libri astrologici huic similis nobis traditum est P. Teb. II 276.

1) Hermupolin dico Magnam (Aschmunên).

]Π̣ΟΥϹΚ[....]ϹΓΥΝΑΙ.[
]ϹΕΙΦΙΛΟΙϹΤΕΑΡΕϹΤΟϹ̣.[
]ΘΥΠΕΡΤΕΡΗϹΗΤΟΝΤΗϹ[
]ΗΝΗΝΔΙΑΜΕΤΡΗϹΗΤΑ̣[
]Δ̣ΕΙΑΝΠΡΟΚΟΠΤΕΙΚΑ.[
]Ε̣ΛΩϹΤΩΔΕΒΙΩΟΥΚΑϹ̣[
]ΝΑϹΔΕΟΥΔΕΠΑΛΙΝΕΝΔΟ̣[
]ΝΑΞΙΑΙϹΗΠΡΕϹΒΥΤΕΡΑΙ.[
]ΓΑΠΩΝΤΑΙΕΠΑΝΔΟΤ[
]ΤΗϹΔΕΞΙΟϹΤΥΧΩΝΕΠ[
].ΑΡΑΓΥΝΑΙΚΩΝΗΚΤΗϹ.[
]Δ̣ΙΑϹΥϹΤΑΘΗϹΟΜΕΝΟ[
].ΙϹΤ̣ΗϹΟ̣Μ̣Ε̣..[.]˹. ΟΥ̣[
]Ε̣ΝΔ̣[

1 In lacinia super hunc versum servata litterarum vestigia non conspiciuntur. Incipiebat igitur columna ab hoc versu. Ultima huius omniumque fere versuum sequentium littera detrita est. Quae hoc versu et sequenti enarrantur, effici existimo constellatione non dissimili his: Paraphras. Anubionis (Catalog. codd. astroll. II) p. 205, 11 sq.: *Ὁ Ζεὺς Ἀφροδίτην τριγωνίζων χαρίεντα καὶ ποθεινὸν ποιεῖ, παρὰ φίλων προκόπτοντα ἢ γυναικῶν* et p. 207, 29 sqq.: *Ὁ Ζεὺς τετραγωνίζων Ἀφροδίτην τοῦ Διὸς καθυπερτεροῦντος, πολλοὺς οἱ τοιοῦτοι φίλους ἕξουσιν, καὶ μάλιστα ἀπὸ θηλυκῶν προσώπων κερδανοῦσι καὶ ἀστεῖον βίον ἕξουσι καὶ θεοσεβεῖς ἔσονται.*

2 *εὐτυχή*]*σει*. Cf. astrolog. anni 379 p. C. n. (Cat. V 1) p. 202, 16 sq.: *ἀπὸ γυναικείων προσώπων μεγάλως εὐτυχοῦντας.* *ἔσται* supplevi, quia *σει* futurum antecessisse indicat. Sed iam hoc loco moneo scriptorem ad arbitrium mutavisse verborum tempus (futur. v. 2; praes. v. 5 et 9) et numerum (sing. v. 2 et 5; plur. v. 9).

4 *διαμετρήσῃ* et *καθυπερτερήσῃ* (v. 3). Duae eodem fere effectu positiones ab astrologis saepe coniunctae, cf. Vettius Valens 226, 26 sqq. Kroll: *οἱ μέντοι καθυπερτεροῦντες ἢ ἐναντιούμενοι* (idem quod *διαμετροῦντες*) *δυναμικώτεροί εἰσιν*, ibid. 57, 12 sq.; 60, 25 sq. Stella elevata vel in diametro posita stellam, quam *καθυπερτερεῖ* vel *διαμετρεῖ*, potentia sua superat (Bouché-Leclercq *L'astrologie grecque* p. 250: *καθυπερτέρησις* et p. 166 sqq.: *διαμέτρησις*). Mercurii nomen posui commotus initio versus sequentis, Veneris, cum *τῆς* (v. 3) planetae feminini nomen poscat et Luna alio modo cum planeta regnante coniuncta sit. Hanc autem duplicem constellationem alibi nusquam inveni; ne compositis quidem locis, quorum alter illustrat vim Mercurii super Venerem elevati, alter Mercurii Lunae adversantis, efficiuntur quae ad horum versuum reliquias quadrent. *τα*[. Ultima littera, cuius particula exstat, *α* potius quam *ο* fuisse videtur; suspicor *ταχέως*.

5 *περὶ τὴν παι*]*δ̣είαν προκόπτει*, scil. *ὁ γεννηθείς*. Litterae *δ* vestigia certa servata sunt. Omnia ad educationem pertinentia Mercurii sunt. Cf. cum

[τοὺς ἀνθρώ]π̣ους κ[αὶ τὰ]ς γυναῖ[κας ἀγα-]
[πῶν εὐτυχή]σει φίλοις τε ἀρεστὸς̣ [ἔσται. ἐπ-]
[ὰν δ' ὁ Ἑρμῆς κα]θυπερτερήσ̣ῃ τὸν τῆς ['Αφροδί-]
[της, τὴν δὲ Σελ]ήνην διαμετρήσῃ, τα̣[χέως μὲν]
[περὶ τὴν παι]δ̣είαν προκόπτει κα[ὶ πρακτι-]
[κός ἐστι παντ]ε̣λῶς, τῷ δὲ βίῳ οὐκ ἀσ̣[τοχεῖ οὔ-]
[τος, οὐ ταπει]νὰς δὲ οὐδὲ πάλιν ἐνδό̣[ξους ἀγα-]
[πῶσιν οὐδ' ἀ]ναξίαις ἢ πρεσβυτέραι[ς ἢ ἀλλοφύ-]
[λοις αὐτοὶ ἀ]γαπῶνται. ἐπὰν δ' ὁ τ[οῦ Διὸς]
[τῷ τῆς 'Αφροδί]της δεξιὸς τυχὼν ἐπ[ιμαρτυρῇ],
[ὠφελεῖται π]αρὰ γυναικῶν ἢ κτῆσ[ιν λαμβά-]
[νει, μείζοσι] διασυσταθησόμενο[ς καὶ πο-]
[λιτείαις ἐπ]ιστ̣ησό̣μ̣ε̣[νος] ο̣[.]ου̣[
]ε̣νδ̣[

huius loci constructione Val. 167, 1 sq.: *προκόψει περὶ τὴν τῆς ἀσχολίας ἐνέργειαν.* *πρακτικός.* E. g. cf. Val. 116, 28: *πρακτικοὶ μὲν ἔσονται.*

6 *παντ]ε̣λῶς.* Cf. Val. 115, 12: *παντελῶς ἔσονται χῆραι.* *τῷ δὲ βίῳ οὐκ ἀσ̣[τοχεῖ.* Cf. Val. 49, 23: *τῷ δὲ βίῳ ἀστοχοῦντες* et Paraphras. Anub. (Cat. II) p. 207, 38: *τῷ μὲν βίῳ οὐκ ἄποροι ἔσονται.*

7 Hoc versu et sequenti quae verbose exponuntur a Venere imprimis pendent. *οὐ ταπει]νάς* cf. v. 6 *οὐκ ἀστοχεῖ.* *οὐδὲ πάλιν.* Cf. Malicki *De πάλιν particula*, diss. Gryph. 1907 p. 44 et 40. Non dissimili modo coniungitur apud Anonymum de planetis (Cat. II) p. 163, 23: *οὐ μέντοι ἀσυνέτους οὐδ' ἀπράκτους ποιεῖ.* Ad rem cf. Ptol. tetrab. (Basil. 1535) p. 188: *ταπειναῖς ἢ δούλαις ἢ ἀλλοφύλοις συνερχομένους.*

8 *ἀ]ναξίαις ἢ πρεσβυτέραι[ς.* Haec saepe apud astrologos leguntur, e. g. cf. Val. 75, 12 sq.: *ἀναξίαις μέντοι γε ἢ ἀργυρωνήτοις ἢ πρεσβυτέραις ἐπιμίσγονται.* *ἀλλοφύλοις.* Cf. locum Ptolemaei ad v. 7 laudatum et Val. 121, 5: *ξέναις δὲ συνέρχονται ἢ ἀλλοφύλοις.*

9 *ἀ]γαπῶνται.* Exspectaveris potius *ἀγαπᾶται*, sed numeri ut iam supra monui mutantur. Propter hanc formam etiam in v. 7 *ἀγαπῶσι* conieci, ne quae continentur argumento, numeris verborum seiungantur. *ἐπάν.* Nova constellatio incipit. Planetarum nomina amissa ex eis, quae sequuntur, refingi posse puto; de Iove et Venere agi videtur. Valens enim docet 176, 11 sq.: *περὶ δὲ δόξης καὶ φιλίας καὶ συστάσεως καὶ κτήσεως ἀπὸ τοῦ Διὸς* (scil. *τὸν ὡροσκόπον ποιήσομεν*) et Veneris nominis exitus v. 10 servatus esse videtur. *δεξιὸς τυχών.* Stella a dextra parte posita i. e. praecedens stellam sinistram i. e. sequentem superat (Bouché-Leclercq l. c. p. 174). *ἐπ[ιμαρτυρῇ.* Stellae positione quacunque vis inter se coniunctae *μαρτυροῦσαι* nominari possunt (Bouché-Leclercq l. c. p. 165).

11 *ὠφελεῖται π]αρὰ γυναικῶν.* Cf. Val. 228, 17: *ἐκληρονόμησε θηλυκὸν πρόσωπον* vel simile hoc, Val. 116, 30 sqq.: *καθόλου δὲ Ζεὺς 'Αφροδίτην*

ἐπιθεωρῶν ... εὐσυναλλάκτους ποιήσει καὶ ἀπὸ γυναικῶν ὠφελουμένους. κτῆσ[ιν λαμβάνει. E. g. cf. Val. 90, 32: *τὰς κτήσεις ποιήσουσιν.*

12 δ̣ιασυσταθησόμενο]ς legi, quia *δια* cuius casus dativi reliquiae esse possint, non perspicio. Significat hoc loco idem quod *συνίστασθαι* (e. g. Val. 212,16), cui verbo sensus inest commendandi. Thesaurus s. v. *διασυνίστημι* huius sensus exemplum offert Marci Antonini tantum locum (III 2), ubi Stich in editione et priore et altera *δια* uncis inclusit. Quoniam autem traditum est *διασυστατικός* *commendatorius* et *διασύστασις* *conciliatio, commendatio* (Clem. Al. Strom. I 2 p. 13, 23 et IV 21 p. 306, 15 Staehlin), cur non etiam verbo *διασυνίστασθαι* sensus commendandi esse possit non intellego. Ad *μείζοσι*, quod supplevi, cf. e. g. Val. 38, 9 41, 18 171, 7 207, 17: *μειζόνων συστάσεις.*

13 ἐπ]ιστ̣ησ̣ό̣με̣[ν]ο̣[ς conieci memor locorum similium, velut Val. 44, 11: *προστασίας ὀχλικῆς* et 195, 6 sq., ubi item Iovis et Veneris effectus describuntur: *τάξεις ἐπισήμους ἀρχάς τε πολιτικὰς καὶ δωρεὰς εἰς ὄχλους καὶ προκοπὰς μείζονας καὶ προστασίας ἀποτελεῖ.*

4

(P. 45)

FRAGMENTUM ARGUMENTI INCERTI

Frustulum folii codicis manu, ut mihi videtur, IV post Christum natum saeculi elegantissime exarati undecim fere centesimarum in altitudinem, sex in latitudinem ubi maxima est, a mercatore Hermupolitano anno 1907 emptum. Utraque in pagina reliquiae tredecim versuum exstant, quorum principia in antica parte, exitus in postica servata sunt. Marginis superioris particula aetatem tulit.

I Litterae adversae	II Litterae aversae
ΛΕΙ̣[	]Τ̣Α
ΑΝϹ̣[	]Ν̣Α
ΔΟΥ[	].Α
ΤΑΙ[	]Α̣Ι
ΤΟΙ[	]Π̣ΩϹ
ΤΗ[	].[.].Υ̣ΤΑ
ΠΕ̣ΦΥΡ[	]Κ̣ΙΑΙΚΑΙ
ΤΟΥϹΟΥ[	].ΝΟΤΙΤΑ
ΑΦΗΜΙΚΟ̣[	]ΑΕΠΙΤΗ
ΠΟΝΗΡΑϹ[	]ΥϹΙΝΟΥΤΩ
Τ̣ΟΥϹΑΝΘΡ[	]Ν̣ΕΡΧΟΜΕ
[....]ΩΜΑΙ[	]ΩΟΥΚ̣[
[...].[.]Ο̣ΙΟ̣[	].[

I 1 Tertiae litterae hasta verticalis tantum exstat.

2 Tertia littera aut ο aut ω aut σ fuisse videtur. Primo obtutu de $\overline{\alpha\nu o\varsigma}$ id est ἄνθρωπος (Traube *Nomina sacra* p. 101 sqq.) vel alio huius nominis casu cogitavi, mox autem collato versu 11, ubi τοὺς ἀνθρ[ώπους legitur, de hac coniectura dubitavi; putari etiam licet paragraphum hoc loco positam esse.

7 πεφυρ[fuit aliqua forma perfecti verbi φυράω vel φύρω.

9 ἀφ' ἡμικο[. Cogitari potest de vocibus ἡμικόγγιον, ἡμικόριον, ἡμικοτύλη, ἡμικοτύλιον, ἡμικοτυλιαῖος, sed etiam de ἡμίκοπος.

11 Cf. v. 2.

Prioris paginae lineae 7 et 9 potissimum initia si reputaveris, fortasse de arte medicinali agi conicias. Verbo φύρω enim vel φυράω medicos in praeceptis suis saepe usos esse constat; exempli gratia adscribo Galen. XIII 547 Kuehn: εἰ προκαταπλασθείη τὰ μέρη πρὸ δύο ἢ τριῶν ἡμερῶν ὀροβίνῳ ἀλεύρῳ, ὀξυμέλιτι πεφυραμένῳ. ἡμικοτύλη vero vel simile aliquid si scriptum fuit, materiae immiscendae mensura esse potuit. Sed hanc coniecturam incertissimam esse haud ignoro.

5

(P. 2)

FRAGMENTUM GRAMMATICUM

Hoc fragmentum folii codicis membranacei anno 1907 a mercatore Hermupolitano emptum est una cum epistulis instrumentisque privatis quarti quinti sexti septimi saeculi, quorum partem certe Oxyrhynchi inventam esse constat. Scriptum esse videtur sexto vel septimo saeculo; litterae enim paulo ad partem dexteram inclinatae satis similes sunt litteris fragmenti mathematici Bobiensis, quod septimo saeculo adscribitur (Wattenbach *Scripturae Graecae specimina* tab. VIII)[1]), sed etiam maiore elegantia. Tabulae nostrae phototypicae effigiem exhibent eadem qua fragmentum ipsum est magnitudine, sed maiore litterarum perspicuitate. Litterae enim arte chimica renovatae, ut fieri solet, postea denuo aliquantum evanuerunt.

Agitur pagina melius servata de perfecto verborum in μι exeuntium, pagina peius servata de reduplicatione ita, ut exempla a verbis in ω̄ ex-

1) Cf. etiam Amherst II n. 17.

I

]. . . . . .
]. . . . ΕΦΗ
]. . . . . .[. . . .]. .
]ωΝΟΥΛΥΞΟΜΕΝΑΔ
]ΥΓΝΥΝΥΠΕCΤΑΛΜΕΝΟΥ
]ΔωΚΑΔΙΑΤΙΟΥΝΤΟΥΤΟΤΙ ˥
]ΟΙΕΙΟΥΚΕΤΙ · ΤΕΤΙΘΕΙΚΑ · ΟΥ ˥
]ΔΙΔωΚΑ · ΑΛΛΑΤΙΝΕCΦΑCΙΝ
]ΑCΙΑCΜΟΝΓΕΝΕCΘΑΙΤΑΤΟΙ
]ΙΘC̄ · ΕΙΔΕΤΟΥΤΟΗΝΑΛΗΘΕC
]. ΤΟΪCΤΗΜΙ · ΗΤΟΪΠΤΑΜΑΙ ¯
]ΕΠΤΑΜΑΙΓΑΡΚΑΙΕCΤΗΚΑ · ˥
]. . . . . ΔΑC . ΝΤΟΪΚΑΤΑΤΟΥ ˥
].[. . . .]. . . .

II

. . . . . .[
ΘΕΝΑΤΙ . [
. . Ϋ[. . .]. . . . . .[
ΘΗCω · ΤΑΛΠΟΕΝΟC[
ΜΕΝΑΑΝΑΔΙΠΛΑC. . . .[
ΦωΝΟΝΛΑΜΒΑΝ. . . . . . .[
ΜΟΝΗΑΝΤΙCΤΟΙΧΟΝΤ. . . .[
ΦωΝωΝΠΑΡΑΚΟΛΟΥΘΕΙ.[
ΚΑ · ΝΕΝΟΗΚΑ · ΔΕΔΑΠΑΝΗΚ[
ΘΗΛΑΚΑ · ΠΕΦΙΛΗΚΑ · ΚΕΧΕΙ[
ΛΑΧΘΗΝΑ. . . . .[
ΝΙΚΗΛΕΞΕΙΔΥ. . . . .[
ΝΕΤΑΙΚΑΙΕΝΕ. . . . . . . .Υ[
. . . .[. . . . .]. .[

euntibus et a consonanti incipientibus petantur; veri simile est praeceptum de augmentatione aliaque exempla secuta esse. Similem de verborum flexione expositionem frustra quaeres in Dionysii Thracis arte grammatica, quae brevi atque contracta dicendi ratione excellit; sed apud technicos aetate posteriores, qui Dionysii dispositione usi singula diffuse tractabant, reperies quae cum hoc fragmento concinant. Quorum tamen quoscumque libros inspexi, nullo loco ipsa huius fragmenti verba inveni, sed multa similia, inprimis apud Choeroboscum (Gr. Gr. IV 2 Hilgard) p. 77, ubi eundem habemus disputationis ordinem. Versus tricenas quinas fere lit-

I

]. . . . . .
]. . . . εφη
[. . . . . ἀναδιπλασιαζόμενα μὲν ἐὰν ἄρ-]
[χωνται ἀπὸ ἑνὸς ἁπλοῦ συμφ]ώ̣νου, αὐ̣ξόμενα δ'
[ἐὰν ἀπὸ διπλοῦ ὡς ἐζε]ύγνυν, ὑπεσταλμένου
[τοῦ τέθεικα καὶ δέ]δ̣ω̣κα. διὰ τί οὖν τοῦτο; τί-
[θημι τέθεικα π]ο̣ι̣ε̣ῖ, οὐκέτι τετίθεικα, οὐ-
[δὲ δίδωμι ποιεῖ δε]δ̣ίδωκα. ἀλλά τινές φασιν
[διὰ τὸν ἀναδιπλ]α̣σ̣ιασμὸν γενέσθαι τὰ τοι-
[αῦτα, ὥσπερ ὁ Δωσ]ίθ(εο)ς. εἰ δὲ τοῦτο ἦν ἀληθές,
[ἵστηκα γ' ἐποίει ἂν] τὸ ἵστημι ἢ τὸ ἵπταμαι
[ἵπταμαι· οὐδαμῇ δέ·] ἔ̣πταμαι γὰρ καὶ ἕστηκα
[. . . . .] . . . . . δασ.υ̣ τὸ ῑ κατὰ τοῦ-
[τον τὸν κανόνα. . . . .]

II

. . . . . . [
θενατι.[
. . υ̣[
θησω. τὰ ἀ̣π̣ὸ̣ ἑ̣ν̣ὸ̣ς̣ [τῶν ἁπλῶν συμφώνων ἀρχό-]
μενα ἀναδιπλασ̣[ιάζεται ἤτοι τοῦτο τὸ σύμ-]
φωνον λαμβάν[οντα αὐτὸ εἰς τὸν διπλασιασ-]
μὸν ἢ ἀντίστοιχον τ̣[οῦ δασέος τὸ ψιλὸν σύμ-]
φωνον, παρακολουθεῖ [δ' ἀεὶ τὸ ε̄, ὡς πεποίη-]
κα νενόηκα δεδαπάνηκ̣[α κεκάληκα, ἀλλὰ τε-]
θήλακα πεφίληκα κεχει̣[ροτόνηκα· μεταλ-]
λ̣α̣χθῆ̣ν̣α̣[ι γὰρ δεῖ τὰ θφχ δι' εὐφωνίαν ὡς ἐν ἰω-]
νικῇ λέξει δυ[. . . . .]
νεται καὶ ενε[. . . . .]υ[. . . . .]
[. . . . .]

teras continuisse statui. Quarum magna parte amissa quae supplevi non utique certa esse apparet.

I 5 *υγνυν*. Fortasse ἐζεύγνυν, exemplum augmentationis. Littera γ maculis obscurata, sed satis certa. *ὑπεσταλμένου* i. e. *excepto*. Ad hunc huius perfecti usum cf. Etym. Magn. 624, 33: ὑπεσταλμένου τοῦ πρώτου ἀορίστου, ibid. 591, 2; Apollonius Dyscolus praesenti uti solet. Adhuc proferri suspicor sententiam technicorum quorundam derivari initium perfecti verborum in *μι* exeuntium ex imperfecto prima syllaba, si incipiat a consonanti simplici, geminata, si a duplici, augmentata; eximi tantum perfecta verborum τίθημι et

δίδωμι. Docebant grammatici fieri verborum in $\overline{ω}$ exeuntium perfecti initium ex imperfecto, verborum in $\overline{μι}$ exeuntium ex futuro; cf. Choer. II p. 77, 5 sqq.: Ἰστέον δὲ ὅτι ἐπὶ τῶν εἰς $\overline{ω}$ ⟨μόνων⟩ κανονίζεται ἡ ἄρχουσα τοῦ παρακειμένου ἐκ τοῦ παρατατικοῦ· ἐπὶ γὰρ τῶν εἰς $\overline{μι}$ οὐ δύναται κανονισθῆναι ἐκ τοῦ παρατατικοῦ· ἐὰν γὰρ ἀπὸ τοῦ ἐτίθην καὶ ἐδίδων θελήσωμεν κανονίσαι τὴν ἄρχουσαν τοῦ παρακειμένου, εὑρεθήσεται τετίθηκα καὶ δεδίδωκα, ὅπερ οὐκ ἔστιν. τέθεικα γὰρ καὶ δέδωκα ἐστὶν ὁ παρακείμενος ἀπὸ τοῦ δώσω καὶ θήσω μέλλοντος, τοῦ $\overline{η}$ τραπέντος εἰς τὴν $\overline{ει}$ δίφθογγον βοιωτικῶς; similia II 342, 18 sqq. Theodosii Alexandrini sententiam (v. Gr. Gr. IV p. 84, 19 sqq.) Choeroboscus loco citato tractavit; ipse quidem etiam verborum in $\overline{ω}$ exeuntium perfectum ex futuro duci posse existimat (II 79, 23 sqq.). Nostrum quoque technicum ipsum perfectum verborum in $\overline{μι}$ exeuntium ex futuro derivasse facile intellegitur.

6 δια non μα, perspicua enim est lineola transversa et litterae μ prima hasta ceteris locis aliam habet formam. Quaeritur, qua de causa excipiantur perfecta τέθεικα et δέδωκα. Post τι c o r o n i s, ut versus spatium impleatur, item v. 7 11 12 13 (v. Kenyon *The palaeography of Greek papyri* p. 31).

7 Punctum inter οὐκέτι et τετίθεικα positum esse videtur, quo τιτετι syllabae similes facilius distinguerentur. τ ε τ ί θ ε ι κ α. Apud Theod. et Choerob. semper invenitur τετίθηκα (ἀπὸ τοῦ παρατατικοῦ) et τέθηκα — τέθεικα (ἀπὸ τοῦ μέλλοντος), τοῦ $\overline{η}$ τραπέντος εἰς τὴν $\overline{ει}$ δίφθογγον βοιωτικῶς; cf. l. c. Quomodo $\overline{ει}$ pro $\overline{η}$ ortum sit, technicus hoc quidem loco non curare videtur.

8 δ ε] δ ί δ ω κ α. Hanc formam formae τετίθεικα convenire apparet; cf. l. c. Ab exitu versus sexti usque ad δεδίδωκα (v. 8) quaestioni διὰ τί οὖν τοῦτο; ita responderi mihi videtur, ut formae perfecti e themate imperfecti factae cum formis iustis non congruere demonstrentur. ο ὐ κ έ τ ι, scil. ut fieri deberet, si regula ceterorum verborum in $\overline{μι}$ exeuntium uteremur. Discimus hoc loco, quomodo defenderint grammatici quidam sententiam suam etiam perfectum verborum τίθημι et δίδωμι duci posse ex imperfecto; dicere eos ortas esse formas τέθεικα et δέδωκα ex τετίθεικα et δεδίδωκα deleta altera syllaba propter reduplicationem duplicem. τ ὰ τ ο ι α ῦ τ α, formas τέθεικα et δέδωκα pro τετίθεικα et δεδίδωκα.

10 $\overline{Ι}ΘC$ nomen fuisse videtur velut Δωσίθεος, certe non Τιμόθεος aut Δωρόθεος, cum recta linea ante Θ servata sit. Quod nomen si recte supplevi, ad opus deperditum Dosithei magistri referendum est, non ad Artem grammaticam nobis servatam (Gr. Lat. VII). εἰ δὲ κτλ. Sententiam modo expositam falsam esse nunc explicatur.

11 τὸ ἵ σ τ η μ ι ἢ τὸ ἵ π τ α μ α ι. Super litteram ι verborum ἵστημι et ἵπταμαι bina puncta posita sunt (v. W. Schubart *Das Buch bei den Griechen und Römern* p. 76), item inter ἵστημι et ἢ punctum invenitur. Explicationem, quam in versu 8 sq. legimus, falsam esse technicus versu 10 sqq. hoc fere modo demonstrare mihi videtur. Etsi verba τίθημι et δίδωμι perfectum facere possent more ceterorum verborum in $\overline{μι}$ exeuntium, tamen regula falsa esset. Necesse enim erat valere eandem apud verba ἵστημι et ἵπταμαι (pro ἵπτημι, quod non dicitur). Sunt autem perfecta horum verborum ἔπταμαι et ἕστηκα, non ἵπταμαι et ἵστηκα, quas formas haberemus, si vera esset illa explicatio.

13 Verisimile mihi videtur grammaticum etiam nunc agere de perfecto verborum ἵστημι et ἵπταμαι docentem servandum fuisse etiam spiritum asperum, si adversariorum sententia iusta esset. Sed ΔΑC.Ν nisi mendum est librarii pro δασύν⟨ειν⟩, cui ἔδει δὲ καὶ fere antecesserit, nescio quo pacto haec forma explanari possit. Deinde vero regula quam ipse scriptor defendebat, derivari perfectum ex futuro, aut proferri debebat aut iterari, si iam antea erat prolata.

II Quae legi possunt pauca sunt neque distincte agnoscuntur. Difficultatem augent frustula scripturae paginae insequentis huic paginae adhaerentia.

Dissertationis quae hac pagina exstat ut facilius perspiciatur materia, nonnulla anteponam, quae apud Choeroboscum inveni. Choerob. II p. 79, 25 sqq.: Ἰστέον δὲ ὅτι ὅταν ὁ μέλλων ἄρχηται ἀπὸ ἑνὸς ἁπλοῦ συμφώνου, μὴ τοῦ ρ̄, ἀναδιπλασιάζεται ὁ παρακείμενος, οἷον τύψω τέτυφα, λέξω λέλεχα, ποιήσω πεποίηκα. νοήσω νενόηκα, καλέω κεκάληκα, φιλέω πεφίληκα, τῶν δασέων τραπέντων εἰς τὰ ἀντίστοιχα τὰ ψιλὰ διὰ τὴν κακοφωνίαν. Cf. etiam alios locos Choerobosci similia saepe proferentis, p. 75, 24 sqq., 77, 13 sqq., 97, 10 sqq. et 108, 27 sqq.: καὶ γὰρ οἱ ἀναδιπλασιασμοὶ ἢ διὰ τοῦ αὐτοῦ συμφώνου γίνονται, οἷον τέτυφα πεποίηκα νενόηκα, ἢ διὰ τοῦ ἀντιστοίχου τοῦ ψιλοῦ, οἷον τέθυκα κεχειροτόνηκα πεφίληκα; brevius scholiasta Vaticanus ad Dionysii Thracis artem grammaticam (Gr. Gr. I 3) p. 189, 8 sqq.: Ἔτι τὰ ἀπὸ ἑνὸς ἁπλοῦ συμφώνου ἀρχόμενα ῥήματα ἀναδιπλασιάζουσι τὸν παρακείμενον, οἷον τύπτω τέτυφα, θύω τέθυκα, φιλῶ πεφίληκα . . . .

Eodem fere modo, sed latius diffusiusque hunc quoque technicum de reduplicatione egisse ex eis quae supersunt satis constat.

3 In margine sinistro vestigia litterarum agnosci possunt (το . .?), quae utrum ad correctionem spectent an novi capitis titulus fuerint, diiudicari non potest.

4 Dixerit grammaticus versibus praecedentibus et initio huius haec fere: [Πῶς δὲ ἀναδιπλασιάζει τὰ ῥήματα τὸν παρακείμενον, νῦν ἐκ]θήσω.

7. 8 συμ]φωνων. ω littera altera inter scribendum ex ο correcta esse videtur. Sequebatur iam in hoc versu initium exemplorum versibus proximis enumeratorum, fortasse πεποίη-]κα.

9 νενόηκα. Ne quis in errorem adducatur, litterae *N* prioris initio hastulam ex pagina insequenti humore iteratam adhaerere moneo. Puncta quoque, quae post νεν supra lineam apparent, eodem modo orta esse mihi persuasi. Contra punctum ante δεδαπάνηκα ceteraque perfecta ad distinguenda exempla positum est. δεδαπάνηκ[α. Hoc reduplicationis exemplum apud grammaticos nusquam inveni. Periit quartum exemplum velut κεκάληκα.

10 Exemplis verborum a tenui, media, nasali incipientium continuantur exempla verborum ab aspirata incipientium, quorum primum et alterum, τε]θήλακα et πεφίληκα, certo legi, tertium κεχειροτόνηκα, praesertim cum una cum exemplo praecedenti a grammaticis saepe proferatur, facile repperiri poterat.

12 νικηλεξει. Num ὡς ἐν Ἰω-]νικῇ λέξ⸱ι? Choeroboscus aspiratam propter cacophoniam aspiratae bis positae in tenuem mutari dicere solet; cf. locum

supra annotatum II 79, eademque fere verba II 75, 29 sq.; 77, 15 sq.: *διὰ γὰρ δασέος οὐ γίνεται διπλασιασμὸς διὰ τὴν κακοφωνίαν.* De ea re hic quoque grammaticus v. 11 sqq. egisse atque hanc explicationem commemorasse videtur sive affirmans sive negans: mutari aspiratam in tenuem *ὡς ἐν ἰωνικῇ λέξει.* Saepe enim monemur Ionicorum esse tenuem servare pro aspirata, velut a Choerob. II 349, 2 sqq.: (*ἐπίσταμαι,* non *ἐφίσταμαι.*) *ἀλλὰ γέγονεν ἐπίσταμαι, τοῦ π̄ φυλαχθέντος ἰωνικῶς· καὶ γὰρ τὸ ἥλιος δασύνεται, καὶ ὅμως ἀπηλιώτης ἰωνικῶς ἐπεκράτησε λέγεσθαι διὰ τοῦ π̄, καὶ οὐκ ἀφηλιώτης διὰ τοῦ φ̄.* Sed in extremis quae supplenda sint, non assequor.

6

(P. 14)

AMULETUM CHRISTIANUM

Papyrus 14 fusco colore, lata 300 fere millesimas, alta 155 anno 1907 a mercatore Hermupolitano empta est. Exhibet amuletum, quod quo commodius ab homine tutelam petente portari posset, complicatum fuisse[1]) — in altum quinquies, in latum ut videtur septies — e fissuris apparet. Quin etiam discimus et ex fissuris, quae in ima papyri parte non tantae sunt quantae in superiore, et ex litteris, quae in parte superiore dextra evanuerunt[2]), quod sudore hominis amuletum secum habentis factum esse puto, papyrum plicatam fuisse ab imo in altum et a sinistra parte dextrorsum. Quo modo sarcinula facta est, quam velamento obductam[3]) filoque suspensam e collo gessisse hominem verisimile est.[4]) Quae omnia pertinent et ad amuleta non Christiana et ad Christiana, quorum nostrum est exemplum. Temporum iniuria, fortasse etiam neglegentia eius, qui papyrum invenit, effectum est, ut textus hodie lacunis scateat, id quod, praesertim cum scriba linguae Graecae esset imperitissimus, quominus totum textum intellegamus, magnopere impedit. Accedit, quod artis quoque scribendi minus peritus erat scriba, qui more tironum litteras versi-

1) Simili modo, quo defixionum tabellae, de quibus Wuensch (IG III 3 p. III, b v. 23 sqq.): *Mos lamminas complicandi aut convolvendi sumptus erat ex usu quotidiano epistulas complicandi . . . aut convolvendi . . ., quod si fiebat, scriptura in interiorem recedebat tabellam et difficilius tam peribat quam legebatur, quam si in superficie extaret.*

2) Litterae, quae in infima parte dextra dispici possunt, fortasse imagines sunt litterarum textus papyro plicata ortae.

3) Aliud amuletum, tabula argentea, cum ipso velamine aeneo repertum est (*Arch. f. Rel.-Wiss.* XII p. 24). Etiam amuletum papyraceum Rainerianum (cf. p. 19) in capsula aenea reconditum fuisse Bormannus coniecit. Nostri autem amuleti velamentum linteum fuisse litteris sudore deletis suspiceris.

4) Cf. G. Kropatscheck *De amuletorum apud antiquos usu capita duo.* Dissert. Gryph. 1907 p. 33.

bus curvatis papyro inscripsit. Scriptam esse papyrum arbitror V aut VI post Christum natum saeculo. Quod dixi minus commotus ductibus litterarum quam affinitate textus nostri et aliorum illius aetatis amuletorum scilicet Christianorum. Amuleta Christiana usque ad annum 1901 edita Udalricus Wilcken enumeravit, cum nova amuleta ederet[1]), alia illustravit Adolfus Deissmann in libro *Licht vom Osten* (ed. II et III, Tubing. 1909) p. 26 173 308. Praeterea inspexi P. Oxy. V 840[2]) VI 924, P. Heid. I 1362 (p. 76)[3]). Quae amuleta omnia tam variis locis edita sunt, ut Gerhardus Kropatscheck quem corpus amuletorum editurum esse speramus apud omnes qui his rebus incumbunt gratiam maximam initurus sit. Multa etiam debeo nonnullis libris, quos cum infra saepe per compendia citaturus sim, hoc loco enumerabo:

Reitzenst. — Ricardus Reitzenstein *Poimandres, Leipzig 1904*, quo in libro inde a pagina 291 usque ad paginam 303 varia amuleta e codice Parisino Graeco n. 2316 descripta et illustrata sunt.

Vass. — A. Vassiliev *Anecdota Graeco-Byzantina*, Mosquae 1893; in exitu huius libri orationes, exorcismi, amuleta variis e codicibus collecta sunt.

Scherm. — Th. Schermann *Griechische Zauberpapyri und das Gemeinde- und Dankgebet im I. Klemensbriefe, Leipzig 1909,* qui praeter ea, quae titulo indicavit, inde a pagina 18 usque ad paginam 21 partem orationis Gregorii Thaumaturgi adhuc ineditam edidit notisque illustravit.

Pradel. — Fridericus Pradel *Griechische und süditalienische Gebete, Beschwörungen und Recepte des Mittelalters (Religionsgeschichtl. Versuche u. Vorarbeiten* III 3), quo libro duobus e codicibus, e quibus iam Vassiliev varia ediderat, complura ad rem magicam pertinentia edita commentarioque instructa sunt. Libros Schermanni et Pradelii quia sero inspicere potui, ubi locos quos iam ipse inveneram proferunt, non citabo.

Cum alii de notione, textu, forma amuletorum iam egerint[4]), ego quidem satis habeo pauca quaedam proferre, quae nostrum amuletum illustrare possint. Speciem papyri nostrae similem habent amuleta: P. Gizeh. 10263[5]), P. Rainer. 8032[6]), P. Oxy. V 840[7]). Notus est con-

1) *Archiv für Papyrusforschung I: Heidnisches und Christliches aus Aegypten III Amulette* p. 429 sqq.

2) Cf. E. Preuschen *Ein neues Evangelienfragment* in *Ztschr. f. neutestamentl. Wissensch.* 1908 p. 1 sqq. eodemque loco p. 204 sqq. L. Blau *Das neue Evangelienfragment von Oxyrhynchus buch- und zaubergeschichtlich betrachtet.*

3) Fragmentum hoc esse amuleti e textu formaque Deissmannum recte coniecisse puto.

4) Wilcken, l. c.; Ficker in Herzog *Realencyklopaedie für protestant. Theologie u. Kirche* s. t. *Amulett;* al.

5) ed. ab Adolfo Jacoby in libro *Ein neues Evangelienfragment, Straßburg 1900* p. 31 sqq.

6) *Führer durch die Ausstellung P. R.* nr. 528.

7) Cf. Deissmann l. c. p. 173.

nexus amuletorum cum arte magica antiqua[1]) defixionibusque[2]). In nostra quoque papyro nonnulli loci inveniuntur, ad quos illustrandos illa superstitionis monumenta utilia sunt. De usu orationis dominicae aliorumque locorum ex libris sacris haustorum conferantur: Ostracon Megarense musei Atheniensis (n. 12227)[3]), papyrus effossa a Wilckenio Heracleopoli Magna, postea igne deleta[4]), quorum amuletorum utrumque orationem dominicam exhibet, P. Gizeh. 10263, P. Berol. 6096[5]), P. Rainer. 8032, in quibus alii librorum sacrorum versus adhibentur. Sed ab omnibus quot inspexi amuletis nostrum magnopere differt mira quadam textus perturbatione.

Priusquam ad textum ipsum aggredior, rem orthographicam et grammaticam vitiaque, quae nobis in papyro occurrunt, exemplis illustrare mihi liceat omissis eis locis, quos satis certo legere non possum aut non intellego.

I. A. Soni. 1. Vocales.

η pro *ε*: *ννεκτηρινοῦ* v. 11, cf. Mayser *Grammatik der griechischen Papyri aus der Ptolemäerzeit* p. 63b.

αι pro *ε*: *λέγ*[[*τγ*]]*εται* v. 17, cf. Mayser p. 107b.

ε pro *αι*: *πρ*]*ο*[*σεύχε*]*σθ*ẹ v. 13, cf. Mayser p. 107a.

ει pro *ε*: *δ̣ε̣ι̣ξιᾶς* v. 6, cf. Mayser p. 73b.

ει pro *ι*: *βασιλε*[*ίσκον* v. 14, cf. Mayser p. 90b.

οι pro *ι*: *ἔστοι* v. 3, *φιρξοίας* v. 12 13, cf. Mayser p. 112d.

ι pro *ει*: *χῖρα* v. 7, *καταπτήσις* v. 14 15, *ὀφιλέταις* v. 18, cf. Mayser p. 87.

ου pro *ο*: *ọὐφλήματα* v. 17, cf. Mayser p. 117b.

α pro *αι*: *κα´* v. 15, cf. Mayser p. 105, 8. Omnibus aliis locis papyrus formam *καί* exhibet. *κί* v. 16 pro *καί* et *οὐρανος* v. 2 pro *οὐρανοῖς* neglegentiae scribae attribuenda sunt.

αι et *ε* pro *υ*: *μαιριάτες* v. 10, *ννεκτηρινοῦ* v. 11, cf. Mayser p. 100 sqq. 80 sqq. 107.

Vocalis omissa est per syncopen: *καταπτήσις* v. 14 15, cf. Mayser p. 146. *παραστκουσιν* v. 10 et *ἀφκαμε* v. 18, cum utraque in voce vocalis longa in syllaba

1) Papyri magicae editae a Parthey, Leemans, Wessely, Dieterich.

2) Wuensch: *IG III 3,* ubi cf. praef. p. XXXII b v. 19 sqq. Audollent *Defixionum tabellae.* Adde Wuensch *Antike Fluchtafeln* (*Kleine Texte für theologische Vorlesungen und Übungen* 20).

3) R. Knopf *Eine Tonscherbe mit dem Texte des Vaterunsers* in *Mittlgn. d. deutsch. archaeol. Inst.* XXV 313 sqq. et *Zeitschr. f. neutestamentl. Wissensch.* II 228 sqq.

4) Wilcken l. c. p. 431 et BGU III 954.

5) Fr. Krebs *Altchristliche Texte im Berliner Museum* in *Nachr. d. Kgl. Gesellsch. d. Wissensch. zu Göttingen* 1892 p. 118. Idem amuletum iterum editum est novo amuleto Christiano adiuncto in *Berliner Klassikertexte* VI 129 sqq., in linguam Germanicam translatum a primo editore in libello, qui inscribitur *Aus den Papyri der königlichen Museen, Berlin 1899,* p. 236.

acuta omissa sit, neglegentia orta esse apparet. υ addita est in δράνχοντα ut etiam in ἐνανστήριον apud Mayser p. 115 b 2.

2. Consonantes.

τ pro δ: μαιριάτες v. 10, cf. Mayser p. 175.

χ pro κ: δράνχοντα v. 15, cf. Mayser p. 171.

κξ pro ξ: ἐκξορκισμός v. 9, cf. Mayser p. 210.

ν vocem finiens, ubi vox proxima a consonante τ incipit, omissa est: ἐ τοῖς v. 2, ἡμῶ τόν v. 14, ἄφκαμε τοῖς v. 18, cf. Mayser p. 192 sq.

ϑ pro ϑϑ: Μαϑαῖος v. 1, cf. Mayser p. 211 sqq., ubi tamen ϑ aspiratae e geminata ϑϑ ortae exempla desunt.

Metathesis consonantium exstat in βα[ρχ]ίονα v. 6 et φιρξοίας v. 12 13, cf. Mayser p. 189.

B. Formae. παραραστκουσιν v. 10 = παραστήκουσιν, cf. Mayser p. 353 annot. 4.

C. Syntaxis. Cum complexio verborum ad artis grammaticae regulas constructa nisi in locis ex libris sacris desumptis statui vix possit, nihil habeo, quod hoc loco annotem; nam φορουντον v. 16 post ἀπὸ τοῦ non pro φορούντων (cf. Mayser p. 98), sed pro φοροῦντος per errorem positum credo.

II. Praeter eos locos, quos adhuc enotavi, multi in papyro exstant, qui textum magna cum neglegentia scriptum esse demonstrent.

Haplographia: ἐκξορκισμὸσαλομῶνος v. 9, cf. Mayser p. 216.

Dittographia litterae: χίλλιαι v. 11, δααιμόνια v. 15, ουννάντημα v. 16 (pro συν-); syllabae: παραραστκουσιν v. 10, ννεκτηρινοῦ v. 11, αὐτοῖσοις v. 17.

Litterae similes confunduntur ΔΛ, ΓΠΤ, ΝΗΜ, ΘΟCΙ: ΗΗΛΘ v. 13 pro ΗΜΑC, ΟΥΦΑΗΜΑΤΑ v. 17 pro ΟΥΦΛΗΜΑΤΑ, ΠΝC v. 13 pro ΓΗC, ΑΓΙΑCΘΝΤΩ v. 2 pro ΑΓΙΑCΘΗΤΩ, ΠCΝΝΡΟΝ v. 16 pro ΠΟΝΗΡΟΝ, ΤΡΟCΕΥΧΕCΘ v. 17 pro ΠΡΟC..., ΤΟΥΙ v. 3 pro ΤΟΥC, ΟΥΥΝΑΝΤΗΜΑ v. 16 pro CΥΝΑΝΤΗΜΑ, ΟΦΙΛΕΤΑΟΙ v. 18 pro ΟΦΙΛΕΤΑCΙ (ὀφιλέταις).

Ordo litterarum commutatur: λεονατ v. 15 pro λέοντα, ὀφιλέταοι v. 18 pro ὀφιλέταις. Praeterea κτου scriptum est pro ἁγίου v. 12.

III. Interpunctionis causa in compluribus versibus bina puncta posita sunt.

Apographo statim apponam exemplar emendatum et suppletum (p. 22 sq.).

1 Papyrus incipit a cruce, signo hominum Christianorum. εὐαγγέλιον κατὰ Μαϑαῖον papyro quasi titulus inscriptum. Post εὐαγγέλιον interpunctio supervacanea. κατελϑόντος. Hasta dextra litterae Λ curvata similiter atque in littera Δ vocis διδα (v. 8). ΙΥ̅ = Ἰησοῦ. Frustulum lineae nomen sacrum indicantis exstare videtur. Cf. ad hunc versum Mt. 8, 1, ubi contio montana, cuius pars est oratio dominica, finitur: Καταβάντι δὲ αὐτῷ (al. cdd. καταβάντος δὲ αὐτοῦ) ἀπὸ τοῦ ὄρους ἠκολούϑησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, et Mt. 17, 9; Lc. 9, 37. Textus continuatur in versu 7.

2 Primus versus orationis dominicae et initium secundi. Mt. 6, 9 sq.: Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· ἁγιασϑήτω τὸ ὄνομά σου· (10) ἐλϑάτω ἡ βασιλεία σου. Papyrus hic et ceteris in versibus orationem illam exhibentibus textum Matthaei sequitur (Mt. 6, 9—13), quo et ostracon Megarense et papyrus Wilckenii usa est. Textus excipitur a versu 8.

3 ουρου. Certum est hoc loco finem vocis πονηροῦ exstare; Mt. 6, 13: καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Ap-

† ЄΥαΓΓЄΛΙΟΝ:ΚαΤαΜαΘαΙΟΝ:ΚαΤЄΛΘΟΝΤΟCΔЄΤΟΥΙΥαΠΟΤΟΥΟΡΟΥC
ΠαΤЄΡΗΜω[.]ΟЄΤΟΙCΟΥΡαΝΟC:αΓΙαCΘΝΤωΤΟ[.]ΝΟΜαCΟΥ:[.]ΛΘαΤω
ΟΥΡΟΥΟΤ[....]ЄCΤΟΙΗΔΟΞαЄΙCΤΟΥΙαΙωΝαCΤω[.]αΙωΝωΝ
Υ[.]ΟΡΟΥ.[...]ΟΡΟ.[....]ΝЄΙΚαCΤΟCЄCΤΙΝΚαΙ[.........].[..]Ν
ΠΟΜαΙΓα[.]ΝαΝΤΗΝ[...]ΤαΔΙΟΙΚΟΥΝΤαΤΗΝ[............]Η
ΤΟΥ:ΥΜαCΤΟΝΒα[..]ΙΟΝαΤΟΥαΘαΝαΤ[............]ΗC.ЄΙΞΙαC
αΥΤΟΥΧΙΡα:ΠΡΟCΗ[.]ΘαΝαΥΤωΟΙΜαΘΗΤα[............]ЄC ———
ΔΙΔαCΚα[.]ЄΔΙΔα[..]αCΙΛЄΙαCΟΥ:ΓЄΝΗΘΗ[............]C[.]ΝΤ[..]Υ
ΡαΝωΚαΙЄΠΙΤΗCЄΚΞΟΡΚΙCΜΟCαΛΟΜωΝ..ΠΡΟCΠαΝαΚαΘαΡΤΟΝ
ΠΝα ЄΔωΚЄΠΤΟCωΠαΡαΡαCΤΚΟΥCΙΝΜΥΡΙαΙΜαΙΡΙαΤЄC
αΓΓЄΛω[.]ΚαΙΧΙΛΛΙαΙΧΙΛΙαΜЄCΗΜΒΡΙΝΟΝΔαΙΜΟΝ[.]ΟΝ·ΝΥΝЄΚΤΗΡΙΝΟΥ
ΦΙΡΞΟΙαC[.].αCΝΤΟ[.]ΜЄΡΙΝΗCΚαΙΚαΤαΤΟΥΦΟΒЄΡΟΥΚαΙΚΤΟΥΟΝΟΜαΤΟC
ΦΙΡΞΟΙαCΞ[.]ΝΗΗΛΘ.ΠΡΟ[.....]CΘЄΚαΘωCΚαΙ[.....]ΗCЄΔΙΔαΞЄΝΤΟΥCΠΝCΤΟΝ
ЄΠΙΒΗCΗ
αΡΤΟΝΗΜωΤΟΝЄΠΙΟΥC[.]ΟΝΔΟCΗΜΙΝCΗΜЄΡΟΝΚαΙαCΠΙCЄΠΙαCΠΙΔαΚαΙΒαCΙΛЄ[.....]ΚαΙΚαΤαΠΤΗ
CΙCΛЄΟΝαΤΚαΔΡαΥΧΟΝΤαΒαCΙΛЄΠΚΗΝΥΚΤЄΡΙΝΗCΗΟCαΤΥΦΛαΔαΙΜΟΝΙαΗΚω[.....]αΛαΜΝωΔα
αΚαΗΟΙΤΟΝΝΝΗΜαΚΙΠCΝΝΡΟΝΟΥΥΝαΝΤΗΜααΠΟΤΟΥΦΟΡΟΥΝΤΟΝΦΟ
ΜαΘΗΤαCαΥΤΟΥΚαΙΛЄΓЄΙαΥΤΟΙCΟΙCЄαΝΤΡΟCЄΥΧΗCΘΟΥΤωCΛЄΓΤΓЄΤαΙΤαΟΥΦαΗΜαΤαΗΜωΝ
ωΝΚαΙΗΜЄΙCαΦΚαΜЄΤΟΙCΟΦΙΛЄΤαΟΙ

† 1Εὐαγγέλ{ι}ον: κατὰ Μαθαῖον: κατελθόντος δὲ τοῦ̣ Ἰ(ησο)ῦ̣ ἀ̣π̣ὸ̣ τοῦ ὄ̣ρους/
5πάτερ ἡμῶ[ν] ὁ̣ ἐ τοῖς οὐρανο⟨ῖ⟩ς: ἁγιασθήτω τὸ [ὄ]νομά σο̣υ̣: [ἐ]λ̣θάτω̣/
9ηρου ὅτ[ι σοῦ] ἐστοι ἡ̣ δ̣όξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶ̣[ν] αἰών̣ω̣ν/
υ̣[.]ο̣ρου̣ [....] ο̣ρ̣ο̣[....ἀ]ν̣ε̣ίκαστό̣ς̣ ἐστιν κ̣α̣ὶ̣ [............]ν̣
πομαιγα[.]ν̣αντην̣ [...] τα διοικοῦντα τὴν [κτίσιν......]η
τοῦ: ὑμᾶς τὸν βα[ρχ]ίονα τοῦ ἀθανάτ[ου θ(εο)ῦ καὶ τὴν τ]ῆς δ̣ε̣ξ̣ιᾶς
αὐτοῦ χῖρα:/2 προσῆ̣[λ]θαν αὐτῷ οἱ μαθητα[ὶ αὐτοῦ λέγοντ]ες
διδάσκα[λ]ε δίδα-/6 [ἡ β]ασιλεία̣ σ̣ου: γενηθή[τω τὸ θέλημά σου ὡ]ς [ἐ]ν̣ τ[ῷ ο]ὐ̣-
ρανῷ καὶ ἐπ̣ὶ τῆς/ ἐκξορκισμὸς ⟨Σ⟩αλομῶνο̣ς̣ π̣ρ̣ὸ̣ς̣ πᾶ̣ν̣ ἀ̣κ̣ά̣θαρτον
πν(εῦμ)α ══ ἔ̣δωκε†πτος ᾧ παρα⟦ρα⟧στ⟨ή⟩κουσιν μ̣ύριαι μαιριάτες
ἀγγέλω[ν] κ̣α̣ὶ̣ χίλ⟦λ̣⟧ιαι χιλιά-/ μ̣εσημβρινὸν δαιμόν[ι]ον· νυ⟦νε⟧κτηρινοῦ
φ̣ι̣ρ̣ξ̣ο̣ίας [..]ασντο [ἡ]μερινῆς καὶ κατὰ τοῦ φοβεροῦ κ̣α̣ὶ̣ ἁγίου ὀνόματος
φιρξοίας/3 ξ[ο]ν ἡμᾶς [.] π̣ρ̣ο̣[σεύχε]σθε̣ καθὼς καὶ [Ἰωάνν]η̣ς̣ ἐ̣δ̣ί̣δ̣αξεν τοὺς/7 γῆς τὸν
ἄρτον ἡμῶ τὸν ἐπιούσ[ι]ο̣ν δὸς ἡμῖν σήμερον καὶ ἄφες/ ἐπὶ ἀσπίδα καὶ βασιλε[ίσκον] {ἐ̣π̣ι̣β̣ή̣σ̣η} καὶ καταπτή-
σις λέο̣ντα κὰ δράυχοντα ⟦βασ̣ιλεπκ⟧ ἢ νυκτερινῆς ἢ ὅσα τυφλὰ δα⟦α⟧ιμόνια ἢ κω[φὰ ἢ ἄλ]αλα ἢ νωδὰ
†ακαηοιτοννημα κ⟨α⟩ὶ πονηρὸν συ⟦υ⟧νάντημα ἀπὸ τοῦ φοροῦντος ♀Θ'/
4μαθητὰς α̣ὐτοῦ κ̣α̣ὶ λέγει αὐτοῖς ⟦οις⟧ ἐὰν προσεύχησθ' οὕτως λέγ⟦τγ⟧εται/8 τὰ ο̣ὐφλήματα ἡμῶν
ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφ⟨ή⟩καμ̣ε τοῖς ὀφιλέταις

tissime haec cum doxologia sequenti coniunguntur. Maxima huius versus pars, qui ut ita dicam summam omnis fere amuleti continet, a scriba omissa est (cf. Ficker l. c. p. 473, ubi „Encolpion Monzanum" commemorat, cui inscriptum est *Ἀποστροφὴ τοῦ πονηροῦ*). *ἡ δόξα*. *H* ex *C* ut videtur correctum. Doxologia nonnullius momenti est, cum papyrus Wilckenii eadem fere verba exhibeat quae nostra; cf. Wilcken. l. c. v. 24 sq.: *Σοῦ γάρ ἐστιν] ἡ δό[ξα εἰς] τοὺς αἰῶν[ας* .... Codices Testamenti Novi antiquissimi doxologia carent, item ostracon Megarense, recentiores habent (Mt. 6. 13): *ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας*, quem textum papyrus nostra et papyrus Wilckenii deminutum praebent. Paulo maior exstat doxologia in fine orationis Christianae saec. III—IV: P. Oxy. III 407 v. 7 sq.: ... *οὗ* (scil. *Χριστοῦ*) *ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνω[ν]. ἀμήν*. Cf. I Petr. 4, 11 (Pradel p. 69). *εἰς τοὺς αἰῶνας* adiuncto genitivo *τῶν αἰώνων* non apud Matthaeum (6, 13), sed multis aliis librorum sacrorum locis invenitur, inprimis in doxologiis epistulas finientibus.

4 Hic versus cum in plicaturam caderet, totus fere deletus est. *εἰκαστός* in medio versu agnovit Wuensch, *ἀ]νείκαστος* Kalbfleisch. Cf. Act. Pauli et Theclae (Act. apost. apocryph. ed. Tischendorf) p. 62: *Ὁ θεὸς ὁ φοβερὸς καὶ ἀνείκαστος καὶ ἔνδοξος τοῖς ὑπεναντίοις*, Clem. Alex. Strom. I, 24, p. 102, 17 Stählin, ubi columnam igneam Iudaeos praeeuntem commemorat: *Σημαίνει δὲ ὁ στῦλος τὸ ἀνεικόνιστον τοῦ θεοῦ*, ps. 70, 19: ... *τίς ὅμοιός σοι* (scil. *τῷ θεῷ*), ps. 85, 8; 88, 6. In dextra parte schedula litteras circiter duodenas huius versus et versuum sequentium 5—8 continens amissa est. Sequebatur fortasse in hoc versu *καὶ [ἀνεκλάλητος* vel *ἄρρητος*; cf. *Berl. Klass.-Texte* VI 112, 51 et tabulae Hadrumetanae v. 19: *ὁρκίζω σε τὸ ἅγιον ὄνομα ὃ οὐ λέγεται*. Quod exempli causa dubitanter proponit Wuensch *σωτὴρ γάρ μοι, ᾧ οὐδεὶς εἰκαστός ἐστιν ἐν τῷ κόσμῳ*, quamquam cum reliquiis scripturae minime convenit, tamen a sententia non alienum esse videtur.

5 *πομαιγα*. Sexta littera nihil aliud est nisi *Γ*; cf. v. 6, ubi *T* eodem modo scriptum exstat. *διοικοῦντα*. *ὁ διοικῶν* deus vocatur; cf. sap. Sal. XII 18: *σὺ δὲ δεσπόζων ἰσχύος ἐν ἐπιεικείᾳ κρίνεις, καὶ μετὰ πολλῆς φειδοῦς διοικεῖς ἡμᾶς*, ibid. XV 1: *ἐλέει διοικῶν τὰ πάντα*. Eodem dei epitheto magicae quoque papyri utuntur; cf. pap. Leidens. I. 395 apud A. Dieterich *Abraxas* p. 193 v. 17: *Μωυσέως ἀπόκρυφος βίβλος περὶ τοῦ μεγάλου ὀνόματος ἡ κατὰ πάντων, ἐν ᾗ ἐστιν τὸ ὄνομα τοῦ διοικοῦντος τὰ πάντα*; ib. p. 194 v. 8 sqq.: ... *θεὸς ὁ τὰ πάντα ἐπιτάσσων καὶ διοικῶν, τούτῳ γὰρ ὑπετάγησαν οἱ ἄγγελοι, ἀρχάγγελοι, δαίμονες, δαιμόνισσαι καὶ πάντα τὰ ὑπὸ τὴν κτίσιν*, et v. 19: ... *θεὸς ὁ τὰ πάντα διοικῶν τὰ κατὰ τὴν κτίσιν*. Papyrus magica musei Britannici (P. XLVI) papyrus Anastasy quae vocatur (ed. C. Wessely in *Denkschr. d. Wiener Akad. d. Wissensch.* XXXVI, II p. 127 sqq.) v. 479: *ὁ τὸ πᾶν διοικῶν*. Comparetur etiam Scherm., qui in pagina 33 ad I Clem. 20, 1 (*οἱ οὐρανοὶ τῇ διοικήσει αὐτοῦ σαλευόμενοι ἐν εἰρήνῃ ὑποτάσσονται*) et iam in pagina 31 varia annotavit hunc locum illustrantia. Adde I. G. XII 1 n. 1038: *δόξα τῷ κ(υρί)ῳ τῷ οἰκονομοῦντι ὑπὲρ ὑγίας Νόννου. Ἀ[μήν]*. Post *τὴν* supplendum esse *κτίσιν* arbitror. Wuensch hunc versum sic supplere studuit: *σκέ]πομαι γά[ρ] πάντῃ [διὰ] τὰ διοικοῦντα τὴν [κτίσιν ἄρθρα τοῦ ὑψ]ίσ-του*; sed obstant et litterae servatae et deletarum numerus. De *σκέπομαι* cf. e. g. ps. 90, 1:

ὁ κατοικῶν ἐν βοηθείᾳ τοῦ ὑψίστου, ἐν σκέπῃ τοῦ θεοῦ τοῦ οὐρανοῦ αὐλισθήσεται; sap. Sal. 5, 16: ὅτι τῇ δεξιᾷ σκεπάσει αὐτούς, καὶ τῷ βραχίονι ὑπερασπιεῖ αὐτῶν; ibid. 19, 8: δι' οὗ πανεθνεὶ διῆλθον οἱ τῇ σῇ σκεπαζόμενοι χειρί.

6 *η-του* fortasse reliquiae genetivi alicuius. *τοῦ*. Ad litterae *T* formam cf. v. 5; *O* ex *T* correctum. Collata χῖρα voce versus sequentis supplevi βα[ρχ]ίονα τοῦ ἀθανάτ[ου. Hic versus et initium versus sequentis quid sibi velint, doceant haec exempla: amuletum Christianum notatum a P. Perdrizet (*Revue des études grecques* XVI p. 44): ... *ligavit te* (scil. daemonem) *brachius Dei et sigillus Salomonis*. Pradel p. 9, 16 sqq.: ὁρκίζω σε ⟨κατὰ⟩ τοῦ κρατοῦντος τὰ πάντα τῇ χειρὶ αὐτοῦ τῇ κραταιᾷ καὶ τῷ βραχίονι αὐτοῦ τῷ ὑψηλῷ (v. ibid. p. 39). Vass. p. 337 exorc. ιγ': ... εἰς τὸν βραχίονα τὸν ὑψηλόν. Vass. p. 326: ἐξορκίζω ὑμᾶς, πάντα τὰ ἀκάθαρτα παθήματα, κατὰ τοῦ μεγάλου ὀνόματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ... καὶ κατὰ τῆς κραταιᾶς αὐτοῦ δεξιᾶς. Oratio Gregorii Thaumaturgi (Scherm. p. 18) v. 3 sq.: ὁ ἀθάνατος θεός, ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν; cf. Schermanni annotationes.

7 Quae χῖρα sequuntur, exstant apud Matthaeum 5, 1, quo loco incipit contio montana: Ἰδὼν δὲ τοὺς ὄχλους ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος· καὶ καθίσαντος αὐτοῦ προσῆλθαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ; cf. etiam Mt. 13, 36: καὶ προσῆλθαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ λέγοντες; 8, 19: καὶ προσελθὼν εἷς γραμματεὺς εἶπεν αὐτῷ· διδάσκαλε ...; Mt. 19, 16; 22, 16 23. Amissa facile supplentur. Vide versum 13.

8 Post *σου* interpunctio est. Vide exitum versus 2. Mt. 6, 10: ἐλθάτω ἡ βασιλεία σου· γενηθήτω τὸ θέλημά σου ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. Sic textus probatus; nonnulli codices: ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. Hic etiam priore loco articulum τῷ additum fuisse huius versus exeuntis reliquiae docent; apparet enim supplendum esse ὡ]ς [ἐ]ν τ[ῷ ο]ὐρανῷ; vide etiam v. 13 14.

9 *ἐκξορκισμὸς Σαλομῶνος*. Amuletum cui ἐξορκισμὸς Σολομῶντος titulus inscriptus est Vass. p. 332 ex codice saeculi XVI vel XVII edidit: Ἐξορκισμὸς Σολομῶντος ὃν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ θεὸς ὑποτάξαι τὰ ἀκάθαρτα πνεύματα μύρια ἐννακισχίλια ἐννακόσια ἐνενήκοντα ἐννέα. Ἡμεῖς οἱ δαιμόνια οἵτινα ὤμοσαν ὅτι ἂν ἀκούσωμεν τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου καὶ τὸ ὄνομα τοῦ Σολομῶντος φευξώμεθα καὶ οὐ μὴ ἀδικήσωμεν. De nominis Salomonis in arte magica vi et sensu cf. Perdrizet loco iam ad v. 6 citato et Abt *Die Apologie des Apuleius von Madaura und die antike Zauberei* (*Religionsgeschichtliche Versuche u. Vorarbeiten* IV) p. 240, 2. Exempli gratia ascribam nonnullos versus papyri Vindobonensis (Wessely l. c. XLII p. 65 sq. R. 1. v. 28 sqq.): ὁρκίζω ὑμᾶς ἃ διωμόσατε ἐπὶ Σολομῶνος, μὴ ἀδικήσατε ἄνθρωπον, μὴ ἔνπυρον (pap. μη εν πυρι μηον. em. W.) ποιήσατε, τῷ ὅρκῳ φοβηθέντα τὸ ἀμὴν καὶ τὸ ἀλληλούια καὶ τὸ εὐαγγέλιον τοῦ κυρίου. Quae Wessely ad eiusdem papyri verba versus 21 sq. μὴ ἀδικήσατε τὸν φοροῦντα τοὺς ὁρκισμοὺς τούτους annotavit: *also dient Vorliegendes als Amulett. ὁρκισμοί genannt wegen der fortwährenden Beschwörungen*, haec etiam de voce ἐκξορκισμός papyri nostrae valent. Quamquam annotat Wuensch: *ἐξορκισμὸς ist Vertreibung eingedrungener Dämonen: das Amulett dient zum Fernhalten noch nicht eingedrungener Dämonen. Es ist also ein Mißbrauch, wenn ein ἐξορκισμὸς als Amulett verwendet wird.* Sed res fert, ut exorcismi, amuleta, defixiones fines inter se non servent; cf. Wuensch *Antike Fluchtafeln* 7 et amuletum Heracleopolitanum: ἐξορκίζω ὑμᾶς (scil. τὰς Γοργοφόνας) κατὰ τοῦ

ἁγίου ὀνόματος θεραπεῦσαι τὸν Διονύσιον ... *ἀπὸ πα[ν]τὸς ῥίγου⟨ς⟩ καὶ πυρετοῦ ἢ το⟨ῦ⟩ κα⟨θ⟩ημερινοῦ ἢ μίαν παρὰ μίαν νυκτ⟨ε⟩ρινοῦ τε καὶ ἡμερι⟨νοῦ⟩ ἢ τετρ[α]δ⟨ί⟩ο⟨υ⟩* .... (BGU III n. 956).

10 *πνα* = *πνεῦμα*. Signum contractionem quam vocant indicans hoc loco trianguli formam habere notandum est. *πνεῦμα* duabus lineis a verbo sequenti separatum est, id quod significat verba *ἐκξορκισμὸς — πνεῦμα* huic parti quasi titulum inscripta esse eodem modo quo *εὐαγγέλιον κτλ.* (v. 1) priori. *ἀκάθαρτον πνεῦμα.* Apud omnes fere gentes ea, quae homines vexant cruciantque, daemones mali habentur (Dieterich *Mithrasliturgie*² p. 98 sqq.). Etiam a Christianis hominibus significatur hac voce non modo diabolus, qui morbos et omnia mala mittit, sed etiam morbi et mala ipsa, id quod versibus sequentibus probatur. *εδωκεπτος.* Litterae Δ exitus servatus est. Interdum opera magica, quo magis credulis persuadeant, *ἀποκαλύψεως* titulo ornantur (cf. Dieterich *Mithrasliturgie*² p. 46 sqq.), cuius consuetudinis haec exempla ad exorcismum Salomonis pertinentia sufficiant: *ἐξορκισμὸς Σολομῶντος, ὃν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ θεός, ὑποτάξαι κτλ.* (locus iam ad v. 9 citatus) et Reitzenst. p. 293, annot. 1.: *τοῦτο τὸ φυλακτήριον ἐδόθη τῷ Μωυσῇ ἐν Αἰγύπτῳ, ὕστερον ἐδόθη τῷ βασιλεῖ Σολομῶντι τοῦ ὑποτάξαι πᾶν ἀκάθαρτον πνεῦμα κτλ.* Itaque fortasse hic quoque restituendum *ἔδωκεν ὁ θ(εό)ς*, sed aliquid deesse videtur. Sequitur phrasis liturgica: *ᾧ παραστήκουσιν μύριαι μυριάδες ἀγγέλων καὶ χίλιαι χιλιάδες*; cf. G. Wobbermin *Altchristl. liturg. Stücke aus der Kirche Ägyptens* (*Texte u. Unters. hrsg. v. Gebhardt u. Harnack N.F.* 17, 3 b) p. 5, 25: *σοὶ παραστήκουσι χίλιαι χιλιάδες καὶ μύριαι μυριάδες ἀγγέλων*, et liturgia Alexandrina apud Swainson *The Greek liturgies* p. 48 sq. Etiam in aliis amuletis haec verba adhibentur: P. Gizeh. v. 6: *ὁ ἔχων [ἐξ εὐ]ωνύμων [μ]υρίους μυριάδας ἀγγέλων, ὁμοίως ἐκ δεξιῶν μυρίους μυριάδας ἀγγέλων* . . ., ubi conferas, quae ascripsit Jacoby, inprimis Dan. 7, 10 *χίλιαι χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ, καὶ μύριαι μυριάδες παρειστήκεισαν αὐτῷ.* Reitzenst. p. 294: *ὁρκίζω ὑμᾶς εἰς τὸν θεὸν τὸν μέγαν καὶ ὑψηλόν, ὃν παρίστανται μυριάδες ἀγγέλων καὶ λειτουργοῦσιν αὐτῷ.* Vass. exorc. Salom. p. 332 infra: *ὁρκίζω ὑμᾶς, τὰ ἀκάθαρτα πνεύματα, κατὰ τοῦ ἁγίου καὶ παναγίου ὀνόματος, ᾧ παρειστήκησαν μυριάδες ἁγίων ἀγγέλων καὶ ἀρχαγγέλων.* Pap. mag. Berol. I (ed. Parthey in *Abhdlgn. d. Berl. Akad. d. Wiss.* 1865) v. 208: . . . *ᾧ παρειστήκασιν μυριάδες ἀγγέλων ἄφατοι*, similiter pap. Paris. (ed. Wessely l. c. XXXVI) v. 1203 sq. Iam vero per angelos ipsos daemones adiurantur Pradel p. 12, 2 sq.: *ὁρκίζω ὑμᾶς κατὰ τοὺς ἀ⟨να⟩ριθμήτους ἀγγέλους καὶ ἀρχαγγέλους καὶ πάντας τοὺς παρισταμένους ἐνώπιον τοῦ θεοῦ.* ibid. 9, 24 sq.; 13, 13 sq.

11 *χίλλιαι.* De α litterae forma cf. *αθανατου* (v. 6) et *τουννημα* (v. 16). Textus media fere in voce (*χιλια-*) interruptus est amissis litteris *δες* a scriba ad vocis sequentis initium ut videtur aberrante. *μεσημβρινὸν δαιμόνιον* vel collatis genetivis sequentibus *μεσημβρινῶν δαιμονίων*, quoniam o et ω his temporibus saepissime confunduntur. Meridianus daemon multis gentibus notus, cf. Drexler in Roscheri lexico s. h. v., ubi quae p. 2833 excerpta sunt ex Allatii de Graec. opinat. p. 128 sq.: *Ἅγιε Πατάπιε πάταξον πᾶν κακὸν καὶ δαιμονικὸν μεσημβρινὸν καὶ μεσονυκτικόν* et *φύλαξον αὐτούς, κύριε, ἀπὸ παντὸς πονηροῦ καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ*, hunc locum illustrent. Ante *νυνεκτηρινοῦ* interpunctio; cf. ad hanc vocem *νυκτερινῆς* (v. 15).

12 Initium huius versus, quamquam magnopere deletum est, tamen vestigiis litterarum cognoscitur idem fuisse atque initium versus sequentis, ubi *φιρξοίας*, i. e. *φριξίας*, *horrores febris*, agnovit Wuensch. Referenda sunt ad hanc vocem adiectiva sequentia *ἡμερινῆς* et *νυκτερινῆς* (v. 15). Ipsam formam *φιρξοίας* nusquam inveni, res frequens est in amuletis; e. g. cf. P. Oxy. VI 924: *Ἦ μὴν φυλάξῃς καὶ συντηρήσῃς Ἀρίας* (l. -αν) *ἀπὸ τοῦ ἐπιημερινοῦ φρικὸς καὶ ἀπὸ τοῦ καθημερινοῦ φρικὸς καὶ ἀπὸ τοῦ νυκτερινοῦ φρικὸς κτλ.* et amuletum Heracleopolitanum, iam supra (ad v. 9) laudatum, cuius morborum enumerationi simillimus est locus amuleti Christiani nuper editi, P. Oxy. VIII 1151 v. 32 sqq.: ... *ἀποδίωξον* (scil. *Χριστέ*) *καὶ φυγάδευσον ἀπ' αὐτῆς πάντα πυρετὸν κ(αὶ) παντοῖον ῥ⟨ῖ⟩γος ἀμφημερινὸν τριτ⟨αῖ⟩ον τεταρτ⟨αῖ⟩ον καὶ πᾶν κακόν.* *ασντο.* Wuensch in his litteris *φάσματος* latere putat, quam vocem cum *νυκτερινοῦ* versus antecedentis coniungit. Ad *φάσμα* cf. e. g. Reitzenst. p. 292: ... *ἔσει ἄφοβος ἀπὸ πάντων τῶν δαιμονίων φαντασμάτων* et P. Paris. (ed. Wessely l. c. XXXVI) v. 2698 sqq.: *φύλαξόν με ἀπὸ παντὸς δαίμονος ἀερίου ... καὶ παντὸς ἀγγέλου καὶ φαντάσματος.* *καικτου*, pro *καὶ ἁγίου*; cf. ps. 110, 9: *ἅγιον καὶ φοβερὸν τὸ ὄνομα αὐτοῦ* (scil. *τοῦ θεοῦ*). Plura invenies apud Deissmann *Bibelstudien* p. 32 annotata ad tabulae Hadrumetanae (Audollent n. 271) v. 3: *ἄκουσον τοῦ ὀνόματος ἐντείμου καὶ φ[οβ]εροῦ καὶ μεγάλου.* Verba *κατὰ τοῦ — ὀνόματος* reliquiae sunt enuntiati, cuius verbum regens erat *ἐξορκίζω* vel *ὁρκίζω*, e. g. cf. P. Paris. (Wessely l. c. XXXVI) v. 356 sqq.: *σὲ ἐξορκίζω κατὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ φοβεροῦ καὶ τρομεροῦ, οὗ ... οἱ δαίμονες ἀκούσαντες τοῦ ὀνόματος ἐν φόβῳ φοβηθήσονται.*

13 Versus, cum in fissuram caderet, magnopere deletus est. Litterae ab hoc versu usque ad finem paulo minores sunt quam in versibus praecedentibus. Post *φιρξοίας* quae in hoc versu fuerint, vocibus *καθὼς καὶ — ἐδίδαξεν* et versu 17 demonstratur: continuatur textus versuum 7 et 8 vocibus ex evangelio Lucae sumptis; v. Lc. 11, 1 sq.: *εἶπέν τις τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς αὐτόν· κύριε, δίδαξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι, καθὼς καὶ Ἰωάννης ἐδίδαξεν τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ. εἶπεν δὲ αὐτοῖς· ὅταν προσεύχησθε, λέγετε· Πάτερ, ἁγιασθήτω κτλ.* (Lc. 11, 2—4: oratio dominica). In lacuna post *ηηλθ* (pro *ἡμᾶς*, similitudine litterarum corruptum) ante *Π* et *Ρ*, quarum litterarum infimae partes exstant, etiam alia littera scripta fuisse videtur. *πνς* corruptum ex *γῆς*. Hoc et sequentia continuantur verbis Matthaei supra (v. 8) allatis; cf. Mt. 6, 11: *τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον.*

13 *ἡμῶ.* Supra ω punctum. *καὶ ασπις.* Cf. Mt. 6, 12: *καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν.* Scriptor papyri *ασπις* pro *ἄφες* scripsit commotus voce sequenti *ἀσπίδα.* Cum verbis *ἐπὶ ἀσπίδα — δράνχοντα* cf. ps. 90 v. 13: *ἐπ' ἀσπίδα καὶ βασιλίσκον ἐπιβήσῃ καὶ καταπατήσεις λέοντα καὶ δράκοντα.* *ἐπὶ* papyrus cum nonnullis LXX codicibus. *ἐπιβήσῃ* supra versum additum erat, ubi litterarum vestigia satis certo conspiciuntur.

15 *λεονατ.* Littera *Ν* e correctione orta. *δράνχοντα.* Quarto loco habes alteram litterae *υ* formam, qua scriba utitur etiam in *νυνεκτηρινοῦ* v. 11, *φοβεροῦ* v. 12, *τυφλά* v. 15. Ex hoc psalmi versu emanavisse arbitror etiam alium locum (Pradel p. 36, 17 sqq.): *Κύριε ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ δέσας τὸν λέοντα καὶ χαλινώσας τὸν δράκοντα* (v. Pradel p. 51), ad quem illustrandum Pradel Danielis tantum versum 6, 22 annotavit. Atque respondet his fidei Iudaicae vel Chri-

stianae locis imago mythologiae Graecae, Hercules leonem suffocans, qui et commendatur amuleta fabricantibus ab Alexandro Tralliano et conspicitur in amuleto nomismatothecae Francogallicae (Schlumberger *Rev. d. ét. grecques* V p. 86). Idoneus erat hic versus, quippe qui e contextu esset, quem potissimum veteres tutamentum esse putaverunt. Nam et totus hic psalmus textibus magicis codicis Marciani a Pradel editis praepositus (Pradel p. 69) et initium eius (ὁ κατοικῶν ἐν βοηθείᾳ τοῦ ὑψίστου κτλ.) amuletis inscriptum est; cf. P. Rainer 8032 v. 1—3 (ps. 90, 1 sq.), P. Berol. 6096 v. 2 (ps. 90, 1). Huc etiam pertinent CIG (Boeckh) 9058, annulus aereus, cui inscriptus est ps. 90, 1, amuletum musei metropolitani Eboraci Novi (Prentice *Magical formulae on lintels of the christian period in Syria* in *American journal of archaeology* X p. 144) (ps. 90, 1), inscriptio supra portam domus incisa (Prentice *Greek and latin inscriptions III, New York 1908* n. 267). βασιλεπκ pro βασιλεισκ, errore repetitum. ἢ νυκτερινῆς, v. v. 12: φιρξοίας. ὅσα. Cf. πᾶν ἀκάθαρτον πνεῦμα v. 9. Amuletorum et exorcismorum idem est quod defixionum, *ut omnia quam diligentissime enumerentur, ne quid omittatur eoque eximatur ab effectu magico* (IG III 3 p. XXXa v. 18 Wuensch). E. g. cf. Wessely l. c. XLII p. 66, v. 35: ὁρκίζω ὅσα ἐστὶν πνεύματα ἢ κλέοντα (l. κλαίοντα) ἢ γελώνια φοβερά. Sequentia ad daemonologiam Novi Testamenti pertinent, ubi cf. Mt. 12, 22: τότε προσηνέχθη αὐτῷ δαιμονιζόμενος τυφλὸς καὶ κωφός, ibid. 9, 32: κωφὸς δαιμονιζόμενος, Mar. 9, 17: ἔχων πνεῦμα ἄλαλον καὶ κωφόν, Lc. 11, 4. δααιμόνια. Media in littera *O* punctum. In exitu versus μνωδα: fort. ἢ νωδά; i. e. non modo *dentes non habens*, sed etiam *mutus*; cf. Pseudarchytas apud Simplicium in Cat. p. 395, 34 et 417, 19 K. Ad hanc daemonum turbam cf. Vass. p. 332 exorcismus Salomonis: Ὁρκίζω ὑμᾶς, πάντα τὰ ἀκάθαρτα πνεύματα, ἢ βασκανία ἢ φαρμακεία ἢ φοβερισμὸς ἢ φρίκη ἢ πυρετὸς ἢ ἐπίβουλον ἢ συνάντημα πονηρὸν ἢ νοσερὸν ἢ κωφὸν ἢ τυφλὸν ἢ ἄλαλον ἢ σεληνιακόν . . .; ibid. p. 326 oratio in infirmos: . . . κεφαλόπονον ἢ ὀφθαλμόπονον ἢ ὀδοντόπονον ἢ στηθόπονον ἢ φρενόπονον ἢ χειρόπονον (scil. δαιμόνιον). Multa exempla etiam apud Pradel p. 79. Eadem mala quibus ne afficerentur orabant locis allatis, veteres inimicis imprecabantur; cf. Vass. p. 330 εὐχὴ λεγομένη εἰς κλέπτην: . . . κατάπεμψον τοῦτον (scil. τὸν ἄγγελον) καὶ ἐφ' ἡμᾶς ὥστε ἐλθεῖν καταφιμῶσαι τὸ στόμα τοῦ κλέψαντος . . . καὶ γενέσθαι αὐτὸν ἄλαλον καὶ κωφὸν καὶ βωβόν (i. e. *mutum*, cf. Steph. Thes.); ibid. p. 343 φυλακτήριον β': . . . ἵνα εἰσὶν ἔμπροσθέν μου ἄλαλοι καὶ κωφοὶ καὶ τυφλοὶ καὶ μὴ δυνήσωνται λαλεῖν ἢ ποιεῖν κατ' ἐμοῦ κακόν. Ex his βωβόν (Vass. p. 330) magis quam ὀδοντόπονον (Vass. p. 326) voci νωδά respondere crediderim.

16 ακα esse exitum vocis φάρμακα mihi persuasum est; cf. locus Vass. p. 332 supra citatus (φαρμακεία) et tabula argentea Amisi reperta (v. p. 18, 3) v. 15: μήτε με φάρμακον ἀδικήσῃ; oratio Gregorii Thaumaturgi (Scherm.) p. 18, v. 6: Αὐτὸς ὑμᾶς ἐπιτάσσει τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκαθάρτοις . . . καὶ πάσῃ φαρμακίᾳ καὶ συνθέσει; ibid. p. 21, 4 sq. et quae Scherm. annotavit ad h. l. Quin etiam in amuleto (Vass. p. 345, γ') ἡ ἁγία Ἀναστασία ἡ φαρμακολύτρια invocatur. Sequentia usque ad medium versum magnopere depravata sunt. ηοιτοννυημα. Coniciam ἢ πᾶν νόσημα; e. g. cf. pap. Lond. CXXI (Wessely l. c. XLII) v. 589 sqq.: φυλακτήριον σωματοφύλαξ, πρὸς δαίμονας, πρὸς φαντάσματα, πρὸς πᾶσαν νόσον καὶ πάθος . . . et amuleti Heracleopolitani v. 11 sqq.: πᾶσαν δὲ νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἄφελε ἀπ' ἐμοῦ . . . . Tum certe: καὶ

πονηρὸν συνάντημα. κι = καὶ. κ eodem modo quo in participio κατελθόντος (v. 1) scriptum est. *Συνάντημα* quid sit, iam LXX docent; e. g. cf. Exod. 9, 14: . . . ἐξαποστέλλω πάντα τὰ συναντήματά μου εἰς τὴν καρδίαν σου. Adde praeter locos in paginis praecedentibus annotatos Reitzenst. p. 294 ann. 3: . . . πάντα τὰ πονηρὰ πνεύματα καὶ συναντήματα, ἐξέλθατε καὶ ἀναχωρήσατε ἀπὸ τῶν δούλων τοῦ θεοῦ. ὑπάντημα, i. e. idem quod συνάντημα, latere puto etiam in insolito illo πᾶν σῆμα apud Reitzenst. p. 293: ὁρκίζω ὑμᾶς, πᾶν πονηρὸν πνεῦμα καὶ πᾶν σῆμα. *ἀπὸ τοῦ φοροῦντος.* Obiecto velut τοῦτο τὸ φυλακτήριον vel τοὺς ὁρκισμοὺς τούτους (v. p. 25: Wessely R. 1 v. 21 sq.) non opus est; cf. e. g. CIG (Boeckh) 7343: εὐτύχει πανοικὶ ὁ φορῶν et Schlumberger *Amulettes byzantins anciens* (*Rev. d. ét. grecques* V p. 74) n. 1: σφραγὶς Σολομῶνος, ἀποδίωξον πᾶν κακὸν ἀπὸ τοῦ φοροῦντος. Tum φο dignoscere mihi videor. Non dissimile veri est haec descripta esse pro ϘΘ′. Wessely enim ad versum 32 papyri supra (ad v. 9) citatae haec annotavit: *Die Geister fürchten das Amen. Diese Stelle erklärt uns einen Gebrauch, der ebenso in Ägypten wie anderswo vorkommt, daß den Briefen, Acten, auf Inschriften, im Koptischen und Griechischen ein prophylaktisches ϘΘ′ 99 = α(1) + μ(40) + η(8) + ν(50) beigefügt wird.* Qua de re accuratius egit idem in *Mittlgn. a. d. Sammlg. der Pap. Erzherzog Rainer* I 113 sqq.: *Die Zahl Neunundneunzig.* Quod conieci confirmatur fine amuleti P. Berol. 6096: τὸ σῶμα καὶ τὸ δέμα (αἷμα?) τοῦ Χ(ριστο)ῦ, φεῖσαι τοῦ δούλου σου τὸν φοροῦντα τὸ φυλακτήριον τοῦτο. ἀμήν, ἀλληλούϊα †α †ω† et testula Aegyptiaca (Ostrac. Graec. Argentorat. nr. 669 ed. a Reitzenstein in libro *Zwei religionsgeschichtliche Fragen* p. 112 sqq.), cuius in initio ϘΘ Udalricus Wilcken postea agnovit (*Gött. gelehrte Anzeigen* 1911 p. 565 sq.). Morborum, ut ita dicam, catalogi, qui hoc versu perfectus est, nonnulla ad psalmi 90 memoriam me excitant, ubi legimus v. 5 sqq.: οὐ φοβηθήσῃ ἀπὸ φόβου νυκτερινοῦ, ἀπὸ βέλους πετομένου ἡμέρας, ἀπὸ πράγματος διαπορευομένου ἐν σκότει, ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ. Haud scio an quaedam textuum affinitas statuenda sit, praesertim cum huius psalmi iam supra (v. 14 15) nos admonuerit papyrus nostra. Cf. etiam P. Gizeh. v. 15 sqq., qui omnino ad hanc papyrum illustrandam apti sunt: αἱ ἀρχ[αὶ καὶ ἐξ]ουσίαι καὶ κοσ[μο]κράτορες τοῦ [σ]κότους ἢ καὶ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἢ καὶ πτῶσις δαίμονος μεσημβρ[ιναῖ]ς ὥραις, εἰ δὲ ῥίγος, εἰ δὲ πυρρέττιον, εἰ δὲ ῥιγοπυρρέττιον, εἰ δὲ κάκωσις ἀπ' ἀνθρώπων, εἰ δὲ ἐξου[σία]ι τοῦ ἀντικειμένου, μὴ ἰσχύσωσι κατὰ τῆς ἰκόνος, διὸ ἐπλάσθη ἐκ χειρὸς τῆς σῆς [θ]ειότητο[ς].

17 Cf. Lc. 11, 1 sq. iam ad v. 13 annotatus. Non ad verbum citatur; Lc. εἶπεν δὲ αὐτοῖς: pap. *καὶ λέγει αὐτοῖς*, lectio aliis Novi Testamenti locis notissima, cf. Mt. 4, 19 et Mt. 26, 45: τότε ἔρχεται πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ καὶ λέγει αὐτοῖς· καθεύδετε . . ., Marc. 7, 17 sq.: ἐπηρώτων αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ τὴν παραβολήν· καὶ λέγει αὐτοῖς· οὕτως . . .; Lc. ὅταν προσεύχησθε, λέγετε (cod. Sin.* add. οὕτω, rursus deletum a Sin.[c]): pap. *ἐὰν προσεύχησθ', οὕτως λέγετε.* *λεγτγεται* depravatum pro λέγετε. Ad sequentia cf. Mt. 6, 12: καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφήκαμεν τοῖς ὀφιλέταις ἡμῶν. Coniungendus est hic locus cum versu 14, sed ἡμῖν desideratur. *οὐφλήματα.* Littera Υ praeter solitum lata supra versum eminet. Mt. ὀφειλήματα, sed ὄφλημα eodem iure quo ὀφείλημα scribitur.

18 *ὀφιλέταις.* ἡμῶν desideratur. Item ultima orationis dominicae precatio excepto exitu vocis πονηροῦ (v. 3) omissa est.

Ex observationibus annotationibusque supra exhibitis intellegitur duos textus hac papyro contineri, quorum prior *εὐαγγέλιον κατὰ Μαϑαῖον* inscribitur, alter, cuius initium in versu 9sq. exstat, *ἐκξορκισμὸς Σαλομῶνος*. Quorum textuum perturbatio quomodo orta sit, Carolus Kalbfleisch vidit, qui cum disiecta quaedam membra in ordinem redegisset, statuit textum nostrum esse apographum amuleti, cuius verba per sex columnas disposita fuissent; haec columnarum intervallis neglectis ita descripta esse quasi continuus exstitisset textus. Potest hoc de industria factum esse, quoniam in nonnullis defixionibus textus variis modis turbatus est, ne ab omnibus legi posset (e. g. cf. Wuensch *Antike Fluchtafeln* n. 4 [Audollent n. 242]). Cuius rei illustrandae causa apographum dabo genuinum textus ordinem exhibens, in quo nonnulla statim significabo, de quibus iam disputaturus sum.

Amuletum igitur illud, cuius hoc apographum est, exaratum erat in papyro perlonga, sed perangusta columnis sex quaternorum versuum, qui quinquagenas fere litteras continebant. Plicatum erat a sinistra parte dextrorsum, quo factum esse videtur, ut externarum plicaturarum margo superior et primus quisque versus detrimentum caperent: sic enim facillime explicatur et quod orationis dominicae verba *ἡμῶν* usque ad *πον(ηροῦ)* desiderantur et quod exorcismus Salomonis lacunosus exstat. Omissis enim primi cuiusque versus vestigiis, si quae forte supererant, scriba primo columnae secundae versui continuavit sequentium alterum quemque, alteri tertium, tertio quartum. Praeterea a columnae secundae versu tertio ad quartae quartum transsiluisse videtur omisso tertiae columnae versu quarto, sive per neglegentiam sive quod hic quoque nimis deletus erat. Haec si sumpseris, aptissime coniungentur V 3 4 *φιρξοίας . . . ἡμερινῆς ἢ νυκτερινῆς*; praeterea hoc modo in fine ponentur verba *ἀπὸ τοῦ φοροῦντος*, quod necessarium esse facile persuasum habebis, si litterarum ϘΘʹ sensum respexeris.

Redeo ad textum priorem, quem perpetuum legi nunc licet. In versu III 1 cum non omnia, quae apud Matthaeum leguntur, in archetypo fuisse potuerint, coniciam legendum esse cum papyro Wilckenii *ἄγε* (v. 22) pro *εἰσενέγκῃς*, qua lectione recepta quinquaginta tantum litterae efficiuntur. Ceterum sola oratio dominica cum Matthaei textu tota fere congruit, reliqua ex variis Novi Testamenti locis, imprimis evangelii Lucae commixta sunt more narratoris in libris sacris versati. Quod factum est ratione tam incondita, ut harmoniae evangeliorum a Tatiano compositae memoria nullo pacto admittenda videatur. Similiter ex Ioh. 21, 6 et Lc. 5, 46 composita habes haec: *τοῦ εἰπόντος τοῖς ἁγίοις μαϑηταῖς αὐτοῦ καὶ ἀποστόλοις· χαλάσατε τὰ δίκτυα εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τοῦ πλοίου καὶ εὑρήσετε ἐκεῖ πλῆϑος ἰχϑύων* (Pradel p. 15, 11sqq., v. ibid.

p. 51). Neque mirum, quod hanc potissimum evangelii partem scriptor sui tuendi causa elegit, quam bis iam in amuletis adhuc editis invenimus.[1]) Denique papyro nostra locum Chrysostomi[2]) illustrari censeo hom. 72 p. 703B ad Mt. 23,5: *ὡς πολλαὶ νῦν τῶν γυναικῶν εὐαγγέλια τῶν τραχήλων ἐξαρτῶσαι ἔχουσι. εὐαγγέλια* enim homines Christiani hac in re eas potissimum partes evangeliorum intellegebant, quibus praecipue vim tutelarem inesse putabant, id quod hoc loco a Nestle allato confirmatur (Isidor. Pelusiot. ep. 150, 2): *Ἴσθι ὅτι τὰ φυλακτήρια δελτία ἦν μικρὰ τὸν νόμον ὠδίνοντα, ἅπερ ἐφόρουν οἱ τῶν Ἰουδαίων καθηγηταὶ ὥσπερ νῦν αἱ γυναῖκες τὰ εὐαγγέλια μικρά.* Quorum evangeliorum parvorum, quae Isidorus appellat, exemplar priore huius papyri textu contineri veri simillimum est.

Haec habui de textu Christiano, qui solus amuletum iam efficit. Sed scriptori archetypi hic textus non sufficiebat, qua de causa textum addidit e Iudaica potissimum superstitione ortum, exorcismum Salomonis. Hunc magis etiam quam Christianam partem laborasse supra iam monuimus. Manifestum enim est e locis ad v. 10 allatis totum versum III 4 omissum esse. Etiam v. VI 3 non integer nobis traditus est. Quam ob rem archetypi columnam, qualis fuisse mihi videtur, hic ascribam:

. . . ἐξορκίζω
ὑμᾶς τὸν βαρχίονα[3]) *τοῦ ἀθανάτου θεοῦ καὶ τὴν τῆς δεξιᾶς αὐτοῦ χεῖρα*
καὶ κατὰ τοῦ φοβεροῦ καὶ ἁγίου ὀνόματος, φιρξοίας καὶ φάρμ-
ακα ἢ πᾶν νόσημα καὶ πονηρὸν συνάντημα, ἀπὸ τοῦ φοροῦντος. ϘΘʹ.

---

1) Cf. p. 20. Etiam in oratione falsa ζʹ et exorcismo ιβʹ (Vassil. p. 332 336) et pluribus locis textuum a Pradelio editorum (v. Pradel p. 67) inter orationes, quas dicere lector iubetur, *τὸ Πάτερ ἡμῶν* nominatur.

2) V. Ed. Nestle *Evangelien als Amulet am Hals und am Sofa, Ztschr. f. Neutestamentl. Wissensch.* 1906 p. 96.

3) Hoc loco liceat mihi proferre pauca exempla verbi *ὁρκίζω* constructionem illustrantia: *ὁρκίζω τινὰ*

I *κατά τινος.* Wessely *Ephesia grammata* n. 229.
II *τινός.* Wessely l. c. n. 367. (Correctione igitur Heisenbergii in loco supra citato (p. 25) Pradel 9, 16: *ὁρκίζω σε ⟨κατὰ⟩ τοῦ κτλ.* non utique opus est.)
III *κατά τινα* v. p. 26 ad v. 10.
IV *εἴς τινα* v. p. 25 ad v. 6.
V *πρός τινα.* Prentice *Greek a. lat. inscr.* n. 171.
VI *τινά.* Wessely l. c. n. 194.

Similem atque papyrus nostra constructionum permixtionem praebet Reitzenst p. 294: *ὁρκίζω ὑμᾶς. . .εἰς τὸν θεὸν τὸν μέγαν σὰς* (!) *ὁρκίζω καὶ κατὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ.*

Cetera quamquam obscura et magnopere deleta sunt, tamen affinitatem textus nostri cum exorcismo Salomonis a Vass. edito satis demonstrant. Atque effulget dispositio totius exorcismi textu columnis ordinato. Nam quae in columnae III exitu et IV 1—3 exstant celebrantia praedicantiaque deum, ad titulum pertinent; sequitur (IV 4) auxilii divini promissio, deinde (V) fiducia exprimitur hominem a deo protectum ab omnibus daemonibus tutum futurum esse, tum demum (VI) ipse exorcismus pronuntiatur.

Coniectura, quam Ricardus Wuensch de pristino huius amuleti ordine restituendo benignissime nobiscum communicavit, variis de causis nobis non probatur. Sed haec nunc quidem persequi nolumus, quoniam virum doctissimum harumque rerum peritissimum ipsum, quid sibi de hac re videatur, accuratius expositurum esse speramus.

7

(P. 158)

FRAGMENTUM CHRISTIANUM

Papyrum amuletum Christianum exhibentem alterum fragmentum Christianum numero 158 insignitum sequatur. Quod fragmentum, ubi maxime patet, octo fere centesimas altum est, latum septendecim. Margo sinister septem versuum exstat; ceteroquin misere est laceratum.

In pagina antica textus Christianus inscriptus est transversa charta a manu quam VI vel VII post Christum natum saeculi esse existimo. Litteris utitur uncialibus dextrorsum inclinatis quinas fere vel senas millesimas altis, eis quae Leo quidam scripsit in *ἐμφυτεύσει* anni 616 satis similibus (pap. mus. Brit. 483, *Greek papyri in the British Museum* Facs. II tab. 116, text. II p. 329 v. 98: *Λεων Σαμουηλιου διακ(ονος) και μοναζ(ων) του αυτου μοναστηριου μαρτηρω ως προκ(ειται)*†). Cf. etiam pap. mus. Brit. 113, 13b, l. c. facs. I tab. 145, fragmentum tractatus Christiani, ab editore saeculo VI vel VII attributum, et *Pap. Graec. Berol.* quas coll. Schubart tab. 44b (saec. VI vel VII).

In pagina postica peius servata perpauca quaedam litteris cursivis scripta exstant, in quibus haec agnoscas: ...*και μειζοτερος*..., quae forma iam in Novo Testamento semel reperitur III Ioh. 4; cf. Blass *Grammatik des Neutestamentlichen Griechisch*² p. 35, 4, qui ad l. c. eandem formam etiam ex P. Oxy. I 131, 25 (saec. VI vel VII) annotat. Addenda est papyrus Berolinensis 2546 anni 615 (BGU II n. 368) v. 9. Cf. Mitteis-Wilcken *Chrestomathie* I 2 n. 134.

[. . . . .]τινος[
[. . . . .]$\overline{υν}$. . . ν. . ατι[
ἀδελφο[υ]ς.[.].ὑπήτει προ. . . . .[
τὸ κώδιον[. .]τοσ. . . εφη.[. . .]. . .[
ἀπὸ τοῦ νῦ[ν σ]υνθητου μηκ[. .].[
αὐτῶν τὰ π[ρό]βατα ηδεκ. . .[
αὐτῆς ὡς {θ(εο)ῦ} συνθεμένη {φη}[
ὁ τοῦ Χ(ριστο)ῦ δοῦλος κατ[. .].[
ὡς δὲ ἡ μακαρία[
ἁγίου καὶ θαυμ[αστοῦ
. .[

2 $\overline{υν}$. Fortasse υἱὸν, quamquam linea paulo longior est.

3 ἀδελφο[υ]ς satis versi simile; litterae Υ hastae maioris vestigium exstare videtur. In exitu versus fortasse προβατ . ., cf. v. 6.

4 κώδιον. Vox apud LXX invenitur, nusquam in Novo Testamento; cf. Mt. 7, 15: προσέχετε ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασιν προβάτων, ἔσωθεν δέ εἰσιν λύκοι ἅρπαγες, quem locum fortasse scriptor noster in sensu habuit.

5 νυ[. .]υνθητου. Hoc vix potest aliud fuisse nisi νῦν συνθητου, sive hoc interpretaris συνθῇ τοῦ, sive συνθήτου i. e. συνθέτου, nam ε et η his temporibus saepissime confunduntur; cf. συνθεμένη v. 7. Vers. Ioh. 8, 11: ἀπὸ τοῦ νῦν μηκέτι ἁμάρτανε huic versui similem esse moneo, quamquam hoc casu factum esse videtur.

6 τὰ π[ρό]βατα. Cf. quae ad v. 3 et 4 annotavi.

7 Inter ὡς et συνθεμένη superscriptum est ΘΥ = θ(εο)ῦ. Linea nomen sacrum indicans omissa per neglegentiam, item ut in papyro anni 591, BGU I 295 v. 2 et *Berl. Klass.-Texte* VI 87, 317. In exitu versus eadem qua ΘΥ magnitudine litterae ΦΗ superscriptae exstant.

8 $\overset{+}{\mathrm{X\Upsilon}}$ nomen sacrum crucem lineae loco superpositam exhibens, item BGU II 370, 8 675, 11 III 738, 5. Cf. ad h. v. Rom. I 1: Παῦλος δοῦλος Χριστοῦ Ἰησοῦ κτλ.

10 θαυμ[αστοῦ vel θαυμ[ασίου.

ADDENDVM

p. 5: Supra I 1 vestigia versus praecedentis aegre dignoscuntur.

VITA

Natus sum Ernestus Schäfer Borussus die XXVI mensis Martii anni MDCCCLXXXIV Solitariae Chattorum patre Philippo, matre Elisabeth e gente Leipold. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis in progymnasio Solitariensi instructus frequentavi gymnasium Hersfeldense, quod vere anni MCMIII maturitatis testimonium adeptus reliqui. Primum Marpurgi me dedi studiis philologis et historicis, deinde autumno anni MCMIV Monacum me contuli, unde anno post Marpurgum redii, ubi usque ad hunc diem commoratus sum. Examen rigorosum habitum est die VII mensis Decembris anni MCMX. Docuerunt me viri doctissimi

Marpurgenses: Birt, Cohen, Glagau, Kalbfleisch, Klebs, Maass, Natorp, Niese †, v. Sybel, Thiele, Varrentrapp †, Wenck;

Monacenses: Crusius, Furtwängler †, Lipps, Pöhlmann.

Proseminarii Marpurgensis sodalis fui per duo semestria; ut exercitationibus interessem philologis benigne permisit Birt; ad exercitationes historicas me admiserunt Klebs, Niese, Wenck.

Viris illis quos dixi omnibus iustas ac debitas ago gratias, inprimis Carolo Kalbfleisch, qui ut huic opusculo operam darem me incitavit et in eo conficiendo optime mihi consuluit.